ALEXANDRO GERALDINI

Itinerarium

ad regiones

sub aequinoctiali

plaga constitutas

# ITINERARIVM
AD
REGIONES SVB ÆQVINOCTIALI PLAGA CONSTITVTAS

## ALEXANDRI GERALDINI
AMERINI,
EPISCOPI CIVITATIS S. DOMINICI
Apud Indos Occidentales,

*Apoſtolicis, Imperialibus, & Regijs Legationibus functi.*

OPVS
Antiquitates, Ritus, Mores, & Religiones Populorũ, Æthiopię, Africæ, Atlantici Oceani, Indicarumque Regionum complectens:
Nunc primo edidit

*ONVPHRIVS GERALDINVS DE CATENACCIIS I.V.D.*
*Auctoris Abnepos.*



Romæ, Typis Guilelmi Facciotti 1631. *Superiorum Permiſſu*

Inſtante Octauio Inghiramo.

*Imprimatur,*

*Si videbitur Reuerendiſſ. Patri Magiſtro Sacri Palatij Apoſt.*

A. Eps Bellicaſtr. Viceſg.

I*Tinerarium Alexandri Geraldini Patricij Amerini, Epiſcopi S. Dominici, Viri in magnorum Regum aulis, & Legationibus diutiſſimè verſati, ex mandato Reuerendiſſimi Patris Magiſtri S. Palatij Apoſtolici, à me diligenter excuſſum, in lucem emitti è re Chriſtiana valdè futurum cenſeo. Quando reſeratis illo auo immenſi Oceani clauſtris apud gentes ſub ignoto ſydere latentes, adeò præclara veræ pietatis ſimulacra conſpecta refert, vt agreſtis illa barbaries, populos diſciplina cæleſtis quondam alumnos, à Romana ſede veritatis magiſtra deſciſcentes, pudenda impietatis valeat redarguere. Dat. ex Aedibus Burgheſianis ad xiv. Kal. Septembris. Anno M.D.C.XXX.*

Ita ego Ferdinandus Carolus cenſeo.

*Imprimatur,*

*Frat. Nicolaus Riccardius, Sacri Palatij Apoſtolici Magiſter, Ordinis Prædicatorum.*



EMINENTISS. ET REVERENDISS.

PRINCIPI

# FRANCISCO

S. R. E. CARDINALI

BARBERINO

*ONVPHRIVS GERALDINVS DE CATENACCIIS S. P. D.*

ANTIQVIS, & recentibus Eminentię tuę beneficijs obſtrictus antiqua,et noua,quę poſſum Tibi ( Princeps Eminentiſs.)offero.Monumenta ſcilicet Antiquitatum Æthiopicarum , Atlanticarum , & Indicarum,Religiones,Ritus,et Mores Populorum, conſcriptos, & perſpectos ab Alexandro Geraldino apud Indos Epiſcopo,Aui mei Patruo. Sunt

illa quidem in ſe ipſis antiquiſſima, nobis autem inaudita; quid ſi etiam ea vocitem iam vetera in membranis Auctoris, in editione autem noſtra recentia ? quæ inter Indicarum ſarcinularum reliquias domi ſepulta delituere; Sed nunc mea quadam fęlici ſorte ad Te properantia, veterem meam erga tuam Eminentiam obſeruantiam patefacient, & nouum clientis addictiſſimi nomini tuo exhibebunt obſequium. Neque fortuitò tuam ad opem (Princeps Eminentiſſime) qui longis, & plenis periculorum peregrinationibus terra, marique peractis, tranquillitati Italiæ conſulis, opus Alexandri Geraldini, poſt Oceani procellas ſuperatas, confugit, vt in Sanctiſs. D. N. VRBANI cōſpectum ducatur, cum ad Summum Pontificem ab extremo



mo illo Mundi Cardine fuerit olim ab Alexandro ipſo directum; Quod ſi contigerit, vt ipſius ſereno lumine Æthiopicum hoc opus illuſtretur, omnis illius nigredo confeſtim in lucidum candorem mutabitur, atq; in tuo complexu, tanquam in theatro Virtutum omnium, audebit ſe offerre ſpectandum noſtro, venturiſque ſeculis, nec timebit cariem annorum, ſi ſuauiſſimo, & omnia incorruptè ſeruaturo tuarũ Apum melle condiatur. Vale diù fęlix. Romæ Kal. Aprilis 1631.

# CANDIDO LECTORI

## ONVPHRIVS GERALDINVS DE CATENACCIIS S.

*QVISQVIS hæc, prodeuntia è domeſticis laribus, benigno oculo excipies, occultari amplius nefas affirmabis; quæ niſi diutiſſimè ſopita iacuiſſent, multò antea recentibus adhuc meritis gloriam forent conſecuta, omniaque inuidētiæ tela retudiſſent, quibus nūc forſan nimis exoleta percutientur, ſi arcana illorum altiùs qui hæc legēt non fuerint perſcrutati. Labores dico, & monumenta* Alexa. Geraldini Amerini, Epiſcopi S. Dominici apud Indos Occidentales *Gentilis mei, qui non ſolum Legationibus, & magnarum arduarumque rerum tractatione claruit ſuperiori æuo in Orbe Chriſtiano, ſed ingenij etiā præſtantia floruit. Attamen, vt varia, & aduerſa quaſſatus fortuna externis in rebus, ita pariter iactatus in illis, quæ è facundo pectore emiſerat nō vulgaria; ita vt eis opus fuerit cum parente ſuo, e noſtro toto Orbe ad Antipodas migrare, & ex illorum extre-*

*mo-*

*mo Axe ad noſtrum redire, & varijs caſibus iactari, ac fere opprimi. Inſpicies illa quidem erepta tot procellis Fortunæ ſæuitiis adhuc integra permanere; Mirum certe! edax Tempus, Sortem aſperam, Mundi alterum Axem omnia voraſſe, hæc intacta pertuliſſe! Itaque præteritorum laborum memoria concuſſus, & impulſus Clariſſimorum Virorum hortatu, ſtatui euulgare hæc, tot fluctibus eruta, quod nemini Gentilium meorum adhuc permiſſum fuit; Fateor equidem huic noſtræ familię* Geraldinæ *in Ciuitate Amerina nuſquam defuiſſe viros, qui hæc curaſſent, ſed nullus eſt auſus domeſticis laribus meis manus inijcere, ne cuiquam meorum gloriæ fraus fieret, quiſque ſuorum intentus curæ. Ego autem vt ex pluribus, quæ publicari videntur digna, aliquid elicerem, ex quo Scribentis conſilium dignoſceretur, & ingenium, ex quo etiam delectatio aliqua perciperetur, vt primo ſtatim guſtu ſitim, & deſiderium reliquorum operum lectori meo accenderem;* Itinerarium ad Regiones ſub Æquinoctiali Plaga conſtitutas *emittere ſtatui; Opus labore plenū, refertum Rerum varietate, nouitate populorū, Religionum, Monumentorum, Legum, Ditionum, Rituum, & omnium, quæ Omniparens Natura Atlantis, & reliquę Africę, Indięque cultoribus clargita eſt: Tamen id ego te monitum volo. Scri-*

*bit*

*bit Alexand. de Atlãtis Mõte olim fabuloſo, quæ nunc rerum experta poſteritas certa reperijt, & Aethiopia Occidentalis mediterraneæ nunquam antea notæ Ritus, & Populos exponit, in quibus, ſi forſan mira audies, in mentem adducito adagium vetus,* Africam sẽper aliquid noui afferre, *hoc ſi veteribus Romanis in Regione iam nota contingebat? cur ignotarum rerum ſcriptori noſtro euenire maiora non potuerunt, quæ nil veritus ſit à poſteritate fore commendanda? Hiſtoria hæc Geographica, vt olim de Platonis Atlantico Ficinus refert, fabuloſa ex admirandis, quæ continet, reputari forſan poterit, niſi conſilium eam exarantis aduertatur, eo enim planè proſpecto, ceſſabit admiratio, & veritas commendabitur; Nam licet magnitudo rerum, & ſuſcepti itineris audax propoſitũ, conſpectarum Regionum morum, Religionum obſeruatarum Monumenta, Maris immenſi ſuperata confinia, aliaque laborum conſpicua, claraque ſint, vt cum Lirico dici potuerit;*

Orat. Ode 3. lib. 1.

—— nec timuit præcipitem Africum
 Decertantem Aquilonibus;
Nec triſtes Hyadas, nec rabiem Noti:
 Quem mortis timuit gradum!
Qui ſiccis oculis monſtra natantia,
 Qui vidit mare turgidum?

*Tamen clarior eſt fidei propagandæ flagrãtiſsimus ardor, vnde tot labores ſuſcepti; Atque ita amplius nullum dubitandi locum reperies, nec oſtentandi ingenij cauſa hæc ſcripta dices, ſed longa indagatione reperta, & ſui muneris exequendi, & euellendorum errorum deſiderio transmiſſa ad poſteros.*

*At fortaſſe quis inquiet, quæ figmẽta? quæ res Damnacę ab iſto narrantur, ſibi ipſi ne tãta cõfinxerit? Haud equidẽ ita eſt; ſed is Orbi nouo fidem Chriſtianam illaturus à Summo Pont. miſſus, vt more diligentis agricolæ, & medici, culturã aptam adhiberet, prius Terrarum qualitatem, Ingeniorum, & Populorum propenſionem, Rituumque ſtudium ſibi pernoſcendum putauit, vt poſtea ijs perceptis, quid plantationi, quid medelæ expediret, & erroribus diluendis rectè ſeligeret; cognita enim contrariorum alterius natura, cognoſcitur & alterius, & ex prauo, quid rectum ſit apparet, ſic eruto Deorum profano cultu, vera fidei ſeges illis in agris optima expectari poterat; hinc iſta exquiſita locorum, rerumque cognitio: quod ſi nimis fortaſſe pia, aut Chriſtiani moris ſpecimen aliquod præſeferre videatur, nil mirũ, quãdo, et illi Naturã ducem ſequebãtur, & Lex nulla, nullaue Religio tam legi naturali cõſentiẽs eſt, quam Lex Chriſtiana, quæ non modo ſimilis eſt Legi Naturæ, ſed eſt ſola, ſũmaque illius perfectio, & ideo ſi populi in pura lege Naturæ*

*vi-*

uiuentes conſona ei præcepta habent, non eſt
cur mireris; ipſa enim rerum parens vbique
aliquo pacto mortales vocat ad authorem
ſui generis Deum. Proinde dum hanc rerum
varietatem contemplaris, abſtine ab aliqua
minus recta cenſura. Hoc magnum cuique
ſemper erit, digna. quæ ſeriberentur vel per-
feciſſe, vel ſcripſiſſe, quæ digna eſſent, vt lege-
rentur: Alex. noſter vtrumque videtur con-
ſequutus, vt è noſtris vix ei ſimilem reperias,
& dum manu tractas hæc, ne deneges fidem
per inhoſpita maria, terraſque longiquas er-
ranti, ſtudioſoque relatori tot rerum admi-
randarum, quam cuique quieſcenti ſcriptori
dares libentiſſimè.

Quòd ſi aſſeras ſcriptores alios de huiuſ-
modi plagis hæc reticuiſſe, ſcias velim eos, qui
de rebus Indicis, quæ viderant ſcripſere,
haud comparandos Alex. cum illi ferè omnes
eruditione, vel leui caruerint; aut enim mer-
catores, aut militum ductores fuere: Alexan.
vero, non ita, imò erudiſſiſſimus, vt illa fere-
bant tēpora, & antiquitatum Romanarum,
aliorumque mirabilium indagator acerri-
mus, vt teſtantur quæ variè edidit ingenioſè.

Et ideo quæ aliorum inſcitia prætermi-
ſit, non demnabunt alterius ſolertiam; & ſi
qui apte ſcripſerunt de rebus Aethiopicis, &
Indicis, non ex oculata fide, ſed relatione
Nautarum id præſtiterunt, qui locorum cor-



ticem, & littora non medullas intuiti ſunt:
Etenim Aethiopia in littore ab eis conſpecta
ignobilis eſt: Interior vero ab Alexan. de-
ſcripta nobilis eſt. Illi referunt vix aliquos
Aethiopas ab ſe eloquio cognitos; hic cum
Regibus, Sacerdotibus, Primarijſque, et peri-
tis ſermonem habuit, à quibus Monumenta
antiquitatum, Deorum cultus, & Ritus, mo-
reſque Hiſtorici textus typum deſumpſit,
quorum cauſa iter protraxit hæc dum ſciſci-
taretur; hinc relationis diuerſitas. Sed ſi cor-
ticem inſpicias, & illa in Itinerario reperies,
quæ de Azaganis, Barbaginis, Budomela
Regione, de illis, qui videri nolunt, de Ritibus
vulgaribus, de flumine Senega narrät Aloy-
ſius de Muſto, qui Aethiopica littora præter-
nauigauit, & Io. Leo Africanus: quæ verò
de Regnis Gano, Melli, Logoman, Cano-
rum, & Longon noſter ſcribit, comprobat
etiam Liuius Samnutus in ſua Geographia,
alijque, videlicet Antonius Pigafetta, Io. Bar-
ros, Andreas Corſalus, Ouiedus, Maphæus,
& alij, qui in idem conſentiunt: Quæ verò
miranda de Imperio mulierum refert, teſta-
ta reperies à Franciſco Aluareſio cap. 33.
ſuarum relationum, & licet comprobata hæc
non apparerent, abſit in veritatis præcone, in
viro Eccleſiaſtico, in Epiſcopo, qui Pontifici
Summo referat à ſe viſa, reperta, cognita,
fictionem, ſeu mendacium ſuſpicari; quæ vi-

*dit de viſu refert, quæ audiuit ex auditu, exacti Hiſtorici more, & fidem penes Auctores relinquit. Sic Lector beneuole excipe labores admirandos, de magnis facinoribus potius laudis prodigus, quam debitæ fraudator commẽdationis, et honoris exiſte, ſic probus exiſtimaberis, ſic bonis ſociaberis; ſin ſecus, experire proficiſcere, exolue naulum, intuebere, & tunc refellere poteris, quæ probaueris minùs vera. Quod ſi induſtria, ſi labores Alex. tibi arriſerint, alia promam in quibus abſque nauigio, & itinerum experimento liberè tuum iudicium proferre poteris; Nunc ſuſcipe, nec carpere ſtudeas, quæ tui emolumento, & oblectationi vulgantur. Vale.*

OCTA-

# OCTAVIVS INGHRILANVS
## Lectori S.

ITINERARIVM Alexandri Geraldini, multiplici magnarum rerum notitia refertum, & ideò multiplici commendatione dignum, multorum quoque laudibus fuerat celebrandum. Itaque, dum illud in lucem emitto, nobilium ingeniorum encomia certatim in tam præclara palęſtra, ſeſe exercentium ſimul profero; vt monumẽta Scriptoris egregij variarum linguarum ornatu decorata, hoc etiam nomine tibi, Lector amice, ſint gratiora. Meruerat ille doctæ poſteritatis elogia, qui tantoperè ſtuduit, vt ſuus omnis labor poſteritati prodeſſet; & innumera confluebant teſtimonia doctorum hominum magni viri lucubrationes exornatura; ſed qui opus edere ſtatuit, impoſuit modum ardori meo, & tu minimè fueras onerandus ingenti cumulo

ſcri-

ſcriptionum , qui iudicijs non vulgaribus Illuſtrium virorum quantocius eras alliciendus ad percurrendum Itinerarium. Igitur Geraldini laboribus fruere , meiſque conatibus faue . Si enim in his , quæ nunc exhibeo, induſtriam meam tibi probari intellexero, in poſterum non leuiora præſtabo .

CAR-

# CARMINA, ET ELOGIA variarum Linguarum ,

## *DE GERALDINO, & eius Itinerario .*

### FRANCISCI ROGERII.

*Viderat Oceani victorem Fama Columbum*
*Imperiiſam alio ſiſtere in Orbe ratem ;*
*Nunc videt Aethiopas te, GERALDINE, petentem,*
*Africa quà partu turgida monſtrifero :*
*Hic vir hic eſt, inquit, Ligurum cui ceſſerit Heros*
*Contemptor metæ nobilis Herculeæ ;*
*Ille quid Oceaſum, fugientiaque aſtra ſequutus ?*
*Tendit hic in Medium candida vela diem*
*Plus habet ille via, Chaos elulſatus aquarum;*
*Plus habet hic vita, qui mage mira vides :*
*Orbis at ille noui, laudum quæ ſumma, repertor ;*
*Orbis & inuentor verius iſte noui :*
*Fallor ? an auriſera ſenuit iam Gloria terra ?*
*Cum detecta, ſemel tum nouus Orbis erat:*
*Dignior Aethiopum tellus hoc nomine ; ſemper*
*Per noua monſtra Orbis redditur illa nouus .*

### Eiuſdem .

*Nigrantes populos, Erebique ſimillima turmis*
*Agmina, per Lybicas quæ tibi viſa plagas ,*
*Et Cœli mores alios, Terraque, Mariſque ,*
*Naturaque nouas omniparentis opes,*



Pre-

Proponis Latio dum, GERALDINE, theatro,
Ingenio plaudunt Secula docta tuo;
Tam ſpecioſa Orbi noſtro ſpectacula promis,
Quàm nec Mæonij Dedala Muſa ſenis;
Sed facile illudit per inania gaudia menti,
Libera quæ Veri lege Preſſis euat;
Hoc opus Aethiopum dum tot miracula narras,
Ecce tibi Hiſtoriæ candida tota fides.

## Eiuſdem.

MOnſtra per Oceani qui Terræ monſtra petiuit
Maiora, Heſperias vectus ad Aethiopas,
Quà ſemper molli vernant lanugine ſyluæ,
Tenderique vagas non ſinit arbor oues,
Quà generoſa mothe turgeſcit Palma Liæe,
Et Cereri debet gens epulata nihil;
Sole ſub ardenti viuas, quis crederet? vmbras
Spectauit, Stygio nomina digna foro;
Et non vna illi Proſerpina viſa, nec vnus
Pluto gerens atra gemmea ſceptra manu:
Regia conuiuas oſtendit menſa dracones,
Heſperidum quales pingere fama ſolet.
Singula quid memorem? nil non mirabile vidit
Qui mox facunda retulit iſta manu.
Tu nè es ALEXANDER, quo gens Amerina triūphat?
Tu Geraldinæ gloria prima domus:
Europæ in medio per te patet Africa nobis
Interior; quantum Secula lucis habent!
Talia demirans haudquaquam immobilis hæret,
Sed rerum cauſas quærere lector amat:
Hunc habet exoriens animo Sapientia motum,
Hinc hominem bruto viuere corde pudet;
Qui toto penitus nil admiratur in Orbe,
Vel nimis ille ſapit, vel ſapit ille nihil.



## FRANCISCI GERALDINI de Catenaccis.

AEthiopum gentes, & iniquo ſubdita Soli
Regna per ignotum dum petis Oceanum,
GERALDINE, eluis, quiſquam neget? Hercule maior,
Quamuis nulla tibi monſtra ſubacta manu;
Qui tot, nempe, feras, qui tot portenta ſubegit,
Noto obluctari noluit ille mari.

## GREGORII PORTII.

QVod mores hominum, multas quod vidit Vlyſſes
Vrbes, Mæonio carmine dignus abit.
Apta GERALDINO ſunt hæc præconia laudis
Qui Gentes, Vrbes vidit, & Orbis opes.
Vltima ſunt teſtes viſi confinia Mundi
Queis illum Decimus miſit ab Vrbe Leo.
Teſtis Iber, Rhenus, Germania teſtis, & Atlas
Quos ſtuduit contra iungere Thraca Ducem.
Et quis Alexandro non cedet? cedit Vlyſſes,
Cedit & Indorum qui rate fecit iter.

## ALEXANDRI GERALDINI.

*QVI*
*Cœleſtiſſimo Ore*
*Regum ira flagrantium compoſuit lites ;*
*Mente firmiſſima*
*Variabilis fortunæ duros pertulit caſus;*
*Inuicto Animo*
*Herculi formidoloſum ſuperauit Gaditanum fretum ;*
*Fœlici ſtylo*
*Vberrimos ditauit hiſtoriæ campos ;*
*Multiuqi Sapientia*
*Gemino ſalutem peperit Orbi.*
*QVEM*
*Noſtri Aeui exiſtimares Solinum*
*Si Polyhiſtoris huius auctoritas de ſcriptoribus manaret;*
*non ſuos*
*Penes oculos eſſet veritatis conſtantia.*
*Noſtratem vocitares Vliſſem*
*Si Homerico,non proprio clarus eſſet præconio.*
*Cum Macedone conferres ALEXANDRO*
*Si nouum Orbem ad Nominis, nō ad Numinis adoream*
*Deſideraſſet,*
*Vel deſideraſſet ſolum,non etiam adiſſet.*
*EGO*
*FELICIANVS SILVESTRIVS FVLGINAS*
*Demiror famam,*
*Veneror gloriam, æmulabor virtutem,*
*Magnoq; Nomini*
*Quod poſſum obſequentis animi monumentum*
*Pono.*



MEMORIÆ
ALEXANDRI GERALDINI AMERINI
Indorum Epiſcopi Veræ Fidei præconis
Dicatum.
*A cuius Generoſo pectore*
*Non modò cunctarum virtutum chorum exceptum ſcias;*
*Sed etiam ſuauiſſimo complexu ſociatum ſibi;*
*Quæ, ſi vnquam; vt fabula ferunt; auolaſſent è Terris,*
*Cum hoc vno in terras rediiſſe videri poſſent.*
Cuius feruens in res Diuinas ſtudium
*FIDEM SINCERAM,*
Labores terra, mariq. exhauſti
*SPEM INDVBIAM,*
Gloria Numinis; Animorum ſalus tantoperè quæſita
*CHARITATEM ARDENTISSIMAM,*
Legationes obitæ:iūcti cōnubijs Reges,ingētia peracta
*PRVDENTIAM MVLTIPLICEM;*
Magiſtratus laudabiliter geſti, Æquiquè ſeruatus cultus
*IVSTITIAM INCORRVPTAM,*
Perpetuus modus in ſecundis, & minus lætis rebus
*TEMPERANTIAM EGREGIAM,*
Calamitates rerum immenſi Oceani fluctus ſuperati
*FORTITVDINEM MIRAM,*
Demonſtrant.
*Quibus meritis; Viro Incomparabili*
*Fama ſuperſtes*
*Orbe in vtroque manſurum largita Decus*
*Nunc*
*In Arce terrarum per Capitolinos faſtos*
*Illius Immortale Nomen*
*Aeternitati commendat.*
*ONVPHRIVS GERALDINVS DE CATENACCIS*
*ABNEPOS,*
*Dum in ſui Generis Iubar erigit obſeruātiæ monumētum,*
*Sibi, cæteriſq; nepotibus perfecta virtutis exemplar*
*Ad imitandum proponit.*

# GRÆCORVM CARMINA.

## IO. MATTHÆI CARYOPHILI Archiepiſcopi Iconienſis.

Πολλὰ βροτῶν Ὀδυσεὺς ἴδεν ἄστεα, καὶ νόον ἔγνω.
   Πολλὰ Γεραλδῖνος γράψεν ὀδυσσείαν.
Κεῖνος ἑὴν πάτρην, ὁ δὲ φεύγων πατρίδα γαῖαν,
   Ἀλλὰ πάτρην ζωῆς ἀθανάτου ποθέων.
Ἀρνύμενος ψυχὴν κεῖνος, καὶ νόστον ἑταίρων,
   Αὐτὰρ ὅ δοὺς ψυχαῖς λύτρον ἀπειρεσίαις.
Ὦ πόσον ἦν κείνου προφερέστερος. ᾧ τίς Ὅμηρος
   Μέλψει Ἀλεξάνδρου νηῶ, πόνον, εὐσεβίην.



## LEONIS ALLATII.

ΕΝθα φύσις τ᾽, ὁμίχλη τε ἔσιν προθέουσι ταλάντοις
   Ἠεὶ Γεραλδῖνος ποσσὶν ἐπεσσυμένοις.
Ἰδυίας τε νόον δὲ νοήματα, μέχρις ἐς ἄθρια
   Ὠκεανοῦ κατίδεν γαῖαν ἀγνῶτα τρέχων.
Ἢ τόλμας, ἤθη θ᾽ ἑλίκας, καὶ μῆτιν ἀνάκτων,
   Ἐν τ᾽ αὐτῇ φράδας ἀλλοτρίων ἰδέαν. (Ἐλθὼν,
Τῆς λυγρὰ μέγεθος ἄπειρα, μακρὰ δὲ φροντίσιν ἐπ᾽ ἐσ-
   Ἀλλάγη καὶ τὰ νόῳ χάρματα μάκαρσιν ἄγει.
Οὐ γὰρ ἐπ᾽ εὐσεβίης, τιμὰ κάρηνος ὅπερ Ῥώμη
   Αὐτέλλει, σκοτίων δ᾽ ἐκ βερέθρων βαλέω.
Πάντα Γεραλδῖνος πινυταῖς σελίδεσσι χαράξας
   Ἴδμας ἐθνέων ἄνδρεσι τάξει κρίνας.
Καὶ γλυκὺ νέκταρ ἀφύσσων ἀπ᾽ εὐλειμώνων κυπέλλων,
   Τῷ βίον ἠμερίους αἰθέριον τεύχει.
Εὐδαίμων σὺ τὰ πάντα. καλῶν γὰρ ἀπ᾽ ἐντὸς ὀφέλλει,
   Ἐσθλά τε ἐξ ἐσθλῶν πάντας ἴσασι φέρειν.
Αὐτὰρ ἀπ᾽ ἐσθλῶν βροτέων ἄλκαρ ἐπάξειν,
   Σοί γε μετ᾽ αὐτὸν ἄναξ δῶκεν ἄποινα μόνῳ.

# EIVSDEM.

## Aliud.

Ἐσχατιὰς γαίης περιδέδρομας, ἄνθρωπον ἄλλων
  Θηρῶν ἡμερίοντ' ἀγριωτέρας ἀβάτας.
Ἤδη ἀσπαίρων, ἐλαῦνετ' ἐναγίσμασι φέρβειν
  Κόρζας, καὶ τελετῶν θύμασιν ἀργαλέων.
Δὴ γὰρ δὴ ζαθέας κραδίης ἀπὸ τῆλε μακρὰς
  Βάλλοντες θρηνοὺς ἦρων ἀντὶ τρέμειν.
Αἰθερίων τε καλῶν ἀεικίσσαντες ἄτερ ἀνάγκας
  Λάτρας πρηθερίων ζεῦξαν ἐπ' ἀντιπάλων.
Ἀλλ' οὐδ' ὡς ἐφίλησας ἐνώπια δῖα Ῥώμης
  Τῇ περ ὅλῳ θυμῷ ἀσφαλέως ἐφέρου.
Λύματ' οὐδ' ἐμίξας εἰλυμμένος. ἐκ δὲ μιανθὲν
  Ῥίζας ἀχράντους ἀρθήσας ἐξετίναξας,
Ἐνταυθά τ' αὖ σὺ πέπηγας ἐν ποδὶ, ὡς ἀλιβάτης
  Πέτρῃ, τῇδ' ἑτέρῃ ἔνθα καὶ ἔνθα φέρῃ.
Καὶ γὰρ ἐπ' ἰδίῳ συνδέμασιν ἄντυγι κύκλων
  Οὔποτ' ἀποπλαγχθεὶς τῆς πολὶ ὕβεως ἕδρας.

E A-

# E A D E M.

Ex Interpretatione

## IOANNIS ARGOLI Andreæ F.

*Lumen ubi & tenebræ concurrunt lancibus æquis*
  *Ire Geraldinus vult properante gradu.*
*Sic Auſtrum, Libyamque ſecans decurrit ad vndam*
  *Oceani, igneis nec timet arua ſoli:*
*Hic mores hominum, Regum cognouit, & vrbes,*
  *Et didicit cunct, conſiliumque virûm.*
*Multa ibi praua, bonis pauca aſſima & illa ſaluti*
  *Noxia, quæque animos inſidioſa necans.*
*Non etenim pietas, quam regnans Roma miniſtrat*
  *Hac genuit, nigro ſed Phlegethonte flumus.*
*Iſta Geraldinus committit ſcedula chartis,*
  *Atque docet mentes quid plaga longa tegat.*
*Album lethifero præguſtat flumine nectar*
  *Mortales quo æquat munere cœlitibus.*
*Fælix ſorte tuas nam è prauis ducere praua,*
  *Et bona de paribus quiſque ſine arte poteſt.*
*Sed de lethifero vitalem haurire liquorem,*
  *Hoc ſoli poſt ſe dat tibi ſorte Deus.*

Aliud.

## Aliud.

*VLtima terrarum penetraſti imperuia noſtris*
*Ob ſcelera, atque ipſas non adeunda feras.*
*Impia corda hominum, ſcelerataque ſacra Deorum*
*Expertus, diris extaque iacta focis.*
*Excordes populi, qui nullo corde dederunt,*
*Pro ſeruis Domino, quæ tribuenda forent.*
*Atque Dei immemores inere in fœdus amici*
*Ditis, nobiſcum qui fera bella gerit.*
*Non ideo externus Ritus tibi fregit Aruſpex*
*Romanos animi, qui tibi corde calent.*
*Nec ſcelere implicitus reuuliſti è crimine crimen,*
*Attamen à maculis hæc ſine labe redis:*
*Firmus es in petra, veluti pede circinus vno,*
*Aſt alium velox hinc bene, & inde moues;*
*Nam pede dum veſte raperis, properuſque volutas*
*Non erras: ſtabili nam viget ille gradu.*



## SIMONIS PORTII.

ΟΥΤόσα πλαγκτοσύνας Ὀδυσεὺς περιδέδρομεν ἄστυ
Πάντοσ' ἐκπλαγχθεὶς ἔθνεα, καὶ πελάγη,
Μήτε τόσας θάμασεν μεγαλήτορος τέρματα γαίης
ἠμαθίων τὸ πάρος καλλινίκας μεδέων:
Ὅσσα Γεραλδῖνος περιστοιχῶν ὄρεα κόσμου
Ἔγνω γῆς δὲ νέας, ἔθνεα. γῆς δὲ τρόπους.
Ἰνδῶν ἑσπερίων γαῖαν καὶ ὄλβια φῦλα
Αἰθιόπων λεύσσων ἔδραμ' Ἄτλαντος ὄρος.
Οὐκοῦν τῶν καμάτων ἀντάξιον ἆθλον ἀγείρεις,
Ἀνδρῶν ἐν γλώσσαις ἀθάνατος βιόων.

### Idem Latinè ad verbum.

*NOn tot erroribus Vlyſſes percucurrit Vrbes*
*Vbique vagatus Gentes, & maria.*
*Neque tot domuit magnanimus confinia terræ*
*Macedonum quondam victorijs Rex:*
*Quot Geraldinus circumiens montes, Mundi*
*Nouit & montes, Gentes, atque mores.*
*Indorum Occiduorum terram, & ditem gentem*
*Aethiopum luſtrans peragrauit Atlantis Montem.*
*Ergo tuorum laborum condignum præmium colligis,*
*Virorum in linguis immortalis viuens.*

## EIVSDEM.

### Δίστιχον.

Ἡμερίων γένος ὡς τροχάεις καὶ πείρατα γαίης
Ἥλιε, μετρήσας ὡς δράμεν Ἀμερίας.

### Ἀντιστρέφον.

Ἀμερίας δράμεν ὡς μετρήσας, Ἥλιε γαίης
Πείρατα καὶ τροχάεις ὡς γένος ἡμερίων.

### Diſtichum.

*Mortalium genus ut curris & confinia Terræ*
*Sol, metiens ſic cucurrit Amerinus.*

### Ordine præpoſtero.

*Amerinus cucurrit ſic metiens, Sol Terræ*
*Confinia, & curris ut genus Mortalium.*



# POESIE DI DIVERSI.

Del Signor'

## ANTONIO BRVNI.

Cauato dal ſuo Volume delle Tre Gratie.

### *Si lodano gli Scritti di Monſig. Geraldini.*

MAD.

*Doue il Ligure Heroe porta Primiero*
*Le Chiare Arme di Marte,*
*Porti l'armi di Palla in sù le carte,*
*Pacifico Guerriero:*
*De la Fede verace egli apre i lumi,*
*Tù di facondia i fiumi;*
*Ei d'Elmo il crine: e tù di mitra auuolto,*
*Egli Eſſercito hoſtil, barbara terra*
*Vince, famoſo in guerra,*
*Tù fiacchi al tempo, & à l'oblio l'orgoglio,*
*E fai Spada la penna, e Campo il foglio.*

## Del Signor
# CARLO MANDOSIO.

Sopra Aleſſandro Geraldini Veſcouo di S. Domenico, quale ha ſcritto le relationi de' Popoli dell'Oceano, oltre i ſegni d'Hercole, e del Mare Atlantico.

*NOn ſol di Theti in fra i ſpumanti argenti,*
*Ma in Ocean di gloria i lini ſciogli,*
*Per Orſe hai de gli honor ſtelle lucenti,*
*Hai per remi le penne, e mari i fogli.*
*Palinuro immortal, nè per ponenti*
*D'inuidioſa Sorte i fieri ſcogli;*
*Poi, c'hai per Porto à i tuoi deſiri ardenti*
*I più eccelſi d'Olimpo eterni ſogli.*
*Oltre i ſegni d'Alcide, e i mar d'Atlante*
*Scriuendo i Riti al ſoſtener l'antenna*
*Regger, toglieſti à lor l'orbe ſtellante.*
*Anzi alata d'Heroi Fama n'accenna,*
*Ch'al Ciel non già con tante Glorie, e tante*
*Se non haueа la tua famoſa penna.*

Del-

## Dell'Illuſtriſsimo Signor'
# ODDO SAVELLI DI PALOMBARA
## Marcheſe di Pietra Forte.

*A Le riue de l'Iſtro, e de l'Ibero*
*Nobil deſio di gloria il piè ti ſcorge,*
*E per ignoti mari ancor ti porge*
*I vanni à riſonar la fè di Piero:*
*E varchi per incognite ſentiero,*
*Oue l'vnico Augel cade, e riſorge,*
*E mentre il Sol del tuo girar s'accorge,*
*Ti crede, ò Geraldini, emulo altero.*
*Se'l mar ſtrapaſſo à l'vltimo Occidente*
*A noi t'aſcoſe vn tempo; à Febo intorno*
*Velan nubi talhora il crin lucente.*
*Se chiaro ei more, hà lucido il ritorno:*
*E dal tuo chiaro Occaſo, in Oriente*
*Sorge de le tue glorie eterno il giorno.*

Del

## Del Signor'

# OTTAVIO TRONSARELLI.

Al Veſcouo Geraldini, che hà ſcritto le relationi de' Popoli, i quali habitano oltre i ſegni d'Hercole, e di là dal monte Atlante.

*Poi, c'Hercol giunſe à l'Africano ſcoglio,*
*Raccolſe il Lino d'Aquilon fecondo;*
*E preſſo Atlante, con cui reſſe il Mondo,*
*Volle auuer terminar l'humano orgoglio.*
*Ma tù, ch'vn tempo in rimerito foglio*
*Quinci d'alme trattaſti eccelſo pondo,*
*Maggior d'Atlante, e d'Hercol più facondo,*
*Hai per vela, e per mar l'ingegno, e'l foglio.*
*Oue hà l'empio Oceano onda inquieta*
*Per vie d'induſtria, e di prodezza chiare*
*Il Campion di virtude ir non ſi vieta.*
*Aure di Ciel non ſon di gratia auare*
*Ad Hercol di valore: e non è meta*
*Ad Atlante d'ingegno ira di Mare.*



## Del medeſimo

# SIG. TRONSARELLI.

Per la parte delle relationi, nelle quali tratta de' Popoli dell'Oceano.

*TV de l'immenſo Mar l'ire inquiete*
*Tranquille ſprezzi con ſicuro Legno:*
*E prendi in petto generoſo à ſdegno,*
*Che l'ampiezze de l'onde à te ſien mete.*
*Tal forſe Vliſſe con volante abete*
*Tentò varcar de le Colonne il ſegno:*
*Ma diello à morte il tempeſtoſo Regno,*
*E gli fù l'Ocean flutto di Lete.*
*Pur tù, ſaluo giungendo ad ermi Liti,*
*Non ne l'Occaſo, ma con fauſte ſcorte*
*Ne l'ardimento il pronto Greco imiti.*
*E, mentr'abbatti in Mar gli odij di Morte,*
*E ſpieghi à noi de l'Oceano i riti,*
*Ne la Facondia il vinci, e ne la Sorte.*

## Del Signor Caualiere
# PIER FRANCESCO PAOLI.

Monſig. Aleſſandro Geraldini partì giouinetto d'Amelia; ſe n'andò alle Regioni dell'Equinottio; ſeruì alcuni Rè, e Regine in diuerſi carichi; ſcriſſe il ſuo Itinerario.

*DE gli anni tuoi ſu'l verde Aprile adorno*
*Lunge dal patrio ſuol, (dentro al cor deſti*
*Caldi ſpirti d'honor) varcar voleſti,*
*Cittadino del Mondo, il Mondo intorno;*
*Là doue han l'hore egual la notte e'l giorno,*
*Sotto Zone rimote il piè moueſti;*
*Quiui trà Reggie auguſte i dì trabeſti;*
*Che non manca à Virtù chiaro ſoggiorno.*
*Varca ſpatio maggior sù gli alti chioſtri*
*Peregrino anco il Sol: ma co' ſuoi fregi*
*Splende aſſai men de' tuoi famoſi inchioſtri:*
*E può del gran camin cederti i pregi;*
*Ch'egli alberga talhor trà Fere, e Moſtri,*
*E ſempre tù frà le Regine, e i Regi.*



# DIVERSARVM LINGVARVM
## Carmina, & Elogia.

### *POLONICA.*

F. ADALBERTI DEMBOLECKI
de Konoiady S.T.D. Min. Conu.

### TRIVMPHVS
# GERALDINI MAGNI,
## De Atlante, & Thetide.

*Polonicè.*

ATlas vdręczony
Niebieskiem ciężarem
Został zvvyciężony:
Gdy za Bozym darem,
Iuzz Geraldin zacnie
Osiadł iego ciemię,
Y vv-tloczył ſię bacznie
Pod niebieskie brzemię;
Nusz Thetis Bogini,
Tocząc vvały morskie
Darmo trudność czyni,
Vv-Krainy Zamorskie;
VVſytko to z-vvyciężył
Geraldin odvvazny;
Był, vvidział, y piſał,
(Dzivvo-piſm povvazny:)
Co ieſt za Atlaſem,
Co vvidzieć za morzem,
Przetosz tym to czaſem
Dziękovvać mu mozem:
Za opis pravvdzivvy,
Starych ſłovv mięnienie:
A Bóg ſpravviedlivvy
Niech ma odpoczanienie.

Verbatim.

*ATlas ſuperpreſſus*
*Cœleſti pondere*
*Remanſit victus;*
*Cum, Dei munere,*
*Iam Geraldinus honorificè*
*Poſſedit eius verticem,*
*Et immiſit ſe aduertenter*
*Sub cæleſte onus;*
*Pariter & Thetis Dea,*
*Agitando vndas marinas*
*Fruſtra aditum impedit,*
*In Regiones transmarinas;*
*Nam hæc omnia ſuperauit*
*Geraldinus animoſus;*
*Fuit, vidit, & ſcripſit,*
*(Mirandorum ſcriptor grauis:)*
*Quid ſit trans Atlantem,*
*Quid videndum trans mare,*
*Ob id hoc ipſo tempore*
*Gratias ei referre poſſumus;*
*Pro deſcriptione vera,*
*Veterumq; nominum mentione;*
*Et Deus Iuſtus*
*Det ei requiem.*

## GALLICA.

### De Monſieur

### IEAN DE BONHOME
### Auignonois Docteur ez Droits.

CIl' qui apres auoir eſleué quatres Reines
Fut Nonce en diuers lieux des Papes, & des Rois,
Puis meu d'vn ſainct deſir alla planter las Crois
Par dela l'Ocean es isles Mexicaines.
Deſabuſa ces gens de leur croyances vaines,
Des meſſagers diuins leur expliqua les vois
Egliſes y baſtit, leur enſeigna les lois,
Les Myſteres ſacrez les couſtumes Romaines,
Voulant encor pouſſer ceux qu'eſtoyent à venir
A ſemblables exploits par vn vif ſouuenir.
Dans ces liures tracaſſes faicts, & ſes voiages.
Les Religions, les meurs des peuples Africains
Et des nouueaux Indois; ces liures donc ez mains
Pieuſes ſeront leus vn infinité d'ages.

AN-

## ANGLICA.

### IOANNIS VVALKERO.

*Geraldinus toto Terrarum Orbe celeberrimus, vel eo potiſſimùm nomine eſt Anglis ſuſpiciendus, quod inter Reginas quatuor ſua diſciplina alumnas, Katharina quondam caſtiſſima Henrici Octaui Angliæ Regis Vxor, extitit.*

Kings, Queenes, thy nurſing Parents ſhall I tearme, or thee
The ſtemme from whence they'r better being grown?
Many thy Princely children; but the cheefe was ſhee
Whom Albion erſt a widdow virgin knew.
Nor mov'd the Brittish luſts ſtoop'd ſhee to venus lure
From (as an impe of thine) the Greekes ſtile pure.

### Idem Latinè verbatim.

*Reges, ac Reginas tibi parentes nutritios dicere? an te*
*Stemma, unde ipſorum melius eſſe fuerunt?*
*Plurima tibi Regia ſoboles; ſed præcipua erat illa,*
*Quam Anglia olim viduam-virginem agnouit.*
*Nec medias inter Britannica luxurias Veneris capta eſt illecebris*
*Quam (velut à te prauiſſet ortum) Græci appellauere puram.*

*Καθαρα*

GER-

## GERMANICA.

DEM ALEXANDRO GERALDIN
*auſerleſneſtem Biſchoff*,
Vvelcher
Aus inbrunſt der Religion, gleich vvie der Sonnen
Schein ſchir alles land iſt vmbzogen.
In vnſerm Emiſphereo ſtattliche bottſchafften
Verrichtet.
Zu den Indianern vnd vndere vvelt vortreflich
gezogen.
Chriſti glauben ein zuführen.
Vvirdet, nach dem alles landt mit deſſen groſen
nuz durch Vvandlet.
Zu danck der himliſche Kranz auf geſetzt.
Vnd diſes zu ſeligem angedencken geſungen.
MATHIAS BALSTERER
Der.h. Schriff.L.Beir.

### Interpretatio.

ALEXANDRO GERALDINO
Antiſtitum optimo,
*Qui*
*Religionis ardore Aetherei omnia obeuntis*
*Solis iter ferè Aemulatus,*
*Ad Indos Antipodas coruſcus*
*Poſt noſtrum Emiſphærium legationum fulgore repletum*
*proficiſcitur,*
*Chriſti fidem illaturus.*
*Gloriæ Serta, Terrarum Peregrinatione feliciter*
*Pro bono illis parta, ei tributa,*
*Sacroq; capiti contexta*
*Verè promeritus venerans,*
*Deuotionis argumento memoria plaudit*
*MATHIAS BALSTERER*
*Th. L. Bauarus.*

*HI-*

## HISPANA.

### Del Señor
### MIGVEL MARTIN
### Nauarra.

*En alabanza del Reuerendiſſimo Señor Alexandro Geraldino, Aye delas Infantas de Eſpaña, hijas de Don Fernando, y Doña Iſabel ſus Reyes Catolicos, que fueron Reynas de diuerſas partes de Europa: primer Obiſpo de S. Domingo en la Isla Eſpañola, y eſcritor de ſu viage.*

ESte nueuo Alexandro al primer Mundo
Cultiuò exemplos en la Corte Ibera;
Impaciente, deſpues, de angoſta esfera
Su zelo dilatò al Orbe ſegundo:
A ſu eſplendor cediò el horror profundo,
Que ſepultaba à quella gente fiera:
Y al ſacro influxo dela luz primera,
Prouido, enriqueciò el ſuelo fecundo.
Executò el feruor de ſantos Reyes,
Eſtragando los barbaros altares,
Y opuſo ala impiedad rigor ſeuero;
Su curſo deſcribiò, coſtumbres, leyes,
Tierras remotas, ignorados mares,
Y no embidiò como Alexandro à Homero.

*HVN-*

## *HVNGARICA.*

## SIGESBERTI SALKRVZI.

EZ hogi ſole nemzetnek neuét oregbiti
Es ſzép iraſſal rendit ékeſſi
Saiat diczéretit egig emelteti
S.ragiago féniéuel nézoit elteti
Mert ollj buzgo ſzivvel s.égo ſzeretettel
Vagion Iſtenéhez.s.ollj igaz hiuſéggel
Hogi jeges tagiai az Szereczen éggel
Mar Oszue férhetnek.mellj langoz héuſéggel
Ne czudald mert az kit Iſten ſzeretetj
Vezérel minderben.s.neue diczéreti
Annak igaz sziuet az ég meniezeti
Szokott forgaſſual menniégben vezetj.

Itala traductio.

*QVelli, che i riti altrui*
*Deſerine, e pianta i ſui*
*Con tal'ardore, e zelo,*
*Che l'Etiopica arſura*
*In paragon par gelo;*
*Merauiglia non dia!*
*Haue moto del Ciel la mente pia.*





# ITINERARIVM ALEXANDRI GERALDINI AMERINI EPISCOPIS. DOMINICI

## ad regiones ſub Æquinoctiali Plaga conſtitutas.

## PRÆFATIO.

### Ad ſummum Chriſtianorum Pontificem.

*CVM mecum animo euoluerem (Pater Beatiſſime) cui potiſſimum lõgum iter nauigationis meæ, cui* ITINERARIVM *dirigerem; Res enim non parua videbatur ab ipſo Europæ axe, ad remotiſſimum Aequinoctij cardinem traieciſſe, ad gentem Antipodum penetraſſe; è veſtigio ſanctiſſimum nomen Beatitudinis tuæ in mentem mihi venit, quæ cum maxima per Europam potentia floreat,*

*quæ cum longa per Aſiam poteſtate ad Indos, Scythas, & Aethiopes ſe portendat, ad hanc felicitatem, noſtro tempore, peruenit, vt latiſſimum ſub plaga Aequinoctiali imperium, vt admirabilem ad Antipodes ditionem adepta ſit. Itaq; iure optimo tibi, Pont. Max. tibi gentis humanæ paſtori, tibi fidei Chriſtianæ Præſidenti, cui tantum bonum ab æterno, & immortali Deo tributum eſt, hanc nauigationem meam direxi, in qua varij populi, variæ Inſulæ, variæ linguæ, variæ ſub alio Cælo nationes à me conſpectæ ſunt, & inter cetera Sedem Epiſcopalem Sancti Dominici adiui, de cuius patria beatitudine plena, memoratu digna à me commemorantur; Sic igitur Pater Beatiſſime, ſupplex oro Sanctitatem tuam, vt hoc tenue munus, hanc exilem lucubrationem hilari ore accipiat, ritu illorum Regum olim Parthorum, qui cum illos non liceret ſine munere adire, lætiori longè fronte, benigniori longè vultu, exigua pauperem dona, quam maxima Principum munera accipiebant. Vale, Pater Beatiſſime, & lege itinerarium Alexandri Geraldini Epiſcopi, qui ad Aethiopes, ad Anthropophagos, ad immanes, & incognitas noſtro ſæculo regiones adnauigauit.*





# ALEXANDRI GERALDINI AMERINI EPISCOPI S. DOMINICI ITINERARIVM.

## LIBER PRIMVS.

EGRESSVS Hiſpali Vrbe prid Non. Auguſti (Beatiſſime Pater) Gades adiui nobile Tyriorum opus. Tyrij enim crebrò motu patrio quaſſi vrbem ſuam deſeruere, & quatuor Colonias toto Orbe illuſtres condidere Carthaginem in Lybia, diù Æmulam Imperij Romani, Thebas in Bœotia, Vticam in Numidia, & Gades in introitu maris. Hæc eſt illa vrbs, quæ, florente per totum Orbem Imperio Quiritum, quingentos Equites habuit, qui iure gaudebant Romano, in qua illuſtre Amphitheatrum, & præclara multa antiqui

Gades nobile Tyriorum opus.

Coloniæ Tyriorum.

ſæculi monumenta conſpexi,inter quæ hoc monumẽtum è medijs aquis excerpſi. Illa enim Vrbs æſtu magni Oceani exeſa quotidie diminuitur. Propterea tertio anteá anno in publico patrum,& populi conuentu,Ciues vehementiſſimè hortatus ſum,vt patriæ omninò labenti ſuccurrerent, quæ quantò maiorem principatum in tota Hiſpania,quam reliquæ Vrbes habuerat,tantò magis natiuus patriæ amor, tantò magis antiqua maiorum amplitudo eos excitare debebant ad eam planè retinendam. Epitaphium hoc erat ſic à me tranſlatum.

Epitaphium Menechæi.

MENECHÆVS PATARÆVS vtraque lingua eruditus,cùm ſecreta magni Oceani ſcire in animo haberem, diſtracta parentum hereditate vltimum Occidentem adiui, Gades intraui, ſimulacrum Herculis toto corpore per terram extenſo adoraui; Indè, fluxu, & refluxu Oceani diù conſiderato, comperi magnũ mare, Lunam ſequi Deam, & magna adeò potentia Numina ſuperna agere, vt res humanæ,nihil

Magnum mare in fluxu, & reſluxu Lunam ſequitur.

com-



comparatione Cæleſtium ſint, & hoc ego primus præſenti populo Gaditano,& finitimis populis apertum reliqui. Deinde morte mihi appropinquante,decreto Senatus,& Populi publico,locum ſepulturæ è regione templi Herculei recepi. Vale Patria mea, Valete Gaditani, qui me magnopere amaſtis; ad hoc enim nati ſumus, vt breui tẽporum curſu,& qui amant,& qui amantur ſe inuicem relinquant. Obij diem ÆLIO ADRIANO CÆS. AVG. IMP. DIVI NERVÆ TRAIANI AVG.F.Orbi Imp.Prid.Kal. Octob.

Deinde freto Herculeo ad ſiniſtram relicto, vnà cum columnis, & ſublimi illo templo, ad quod voti cauſa omnes à toto Orbe mortales olim confluebant, cuius veſtigia cum magna ego admiratione triennio iam exacto vidi, in Mauritaniam Tingitanam tranſiui; ita enim exteriora Æthiopiam vſq; loca nominantur, à Tin-

Mauritania Tingitana vſq. in Aethiopiam.

 gi

Tignis Anthei opus.

gi claro Anthei oppido, quod ſuccedente tempore, parte Populi Romani illuc traducta, C.L.Cæſare rem Populi Romani adminiſtrante, Iulia Colonia dictum eſt, in quo littore multæ, & inſignes olim Vrbes extitere; Verùm omnia curſu temporum mutantur, & ea effigie, qua erant, eſſe deſinũt: ſeptingenteſimo enim, & quarto à Redemptione noſtra anno, Ioanne Sext. Pont. Max. in Sede Petri reſidente, & Iuſtiniano Quarto in Oriente Imperante, Arabes Patria egreſſi Lybiam, & Africam occupauere, & freto Herculeo cum magna claſſe ſuperato, totam Hiſpaniam ſubiugauere, præter Montana Cantabrorum, & Vacceorum loca, & Galliæ partem Lugdunum, & Turonem vſq; imperio ſuo ſubdidere. Quo ſæculo omnia per Mauritaniam eo modo immutata ſunt, quod nihil priſcę ætatis incolume in ea remanſit; Colonia enim Conſtantina diruta omninò eſt. Zubul nobile oppidum tempeſtate noſtra Azamorum dictum in humili plebe, in humili fortuna, in nullo ædificij genere agit. Lixons quondam maiorẽ Carthagine, quæ lingua præſenti Arabum, Zophi nuncupatur, latiſſima habere mænia, cum quodam veluti luctu conſpexi, eò quod ipſa ſæcula non humana tantum corpora abſumant, verum etiam ipſas Vrbes, & preclara quę

Arabes Lybiam, Africam, & Hiſpaniam occupauere.

Colonia Conſtantina Zabul.

Lixos olim maior Carthagine.

que



que è manu magiſtrorum opera. Vidi turres dirutas, mænia demolita, & magnas ad longum ſpatium ruinas; quæ vrbs ſub poteſtate Luſitanorum delata, cum mira fortitudine, cum immemorabili virtute contra innumerabilem hoſtium multitudinem defenditur; Luſitanię enim pręter Tingim, Zubul, & Lixon in littore Oceani in Mauritania etiam Cæſarienſi, quæ citra fretum eſt, Septim vrbem illius Lucij Sept. Cæſ. Imp. Patriam, quem Parthicum, Arabicum, Adiabenicum nominauere, Arzilam, & multa Mauritaniæ, & Numidiæ oppida bello parta, cum magno vbiq; nomine retinent, & vt ad rem meam redeam. Mauri poſt eam Arabum cladem, ad hoc venere, quod in longiſſima per Auſtrum regione, vicatim habitant, incredibili multitudine Pagorum omni parte ſe exerente, quà fontes, riui, vel flumina ſunt: Nam ea regio ſiti laborat, ac propterea nullæ ad remotiſſimum tractum arbores, niſi vbi natiuus terræ humor exudat. Cæterum terra vbertate tritici, hordei, milij, & omniũ leguminum plena. vbi numeroſa gregum multitudo, magna armentorum copia, longa, & lata Camelorum agmina ſe explicant. vbi Leones, Vrſi, Lupi, & varia, & noxia reptilium genera oberrant. Verum quoniam Leenę, Lyncibus admiſcentur

Virtutes Luſitanorum.

Mauritaniæ Vbertas.

Leenæ Lincibus admiſcentur.

 cur

tur, Leones gignuntur, non eo robore præſtantes, quo ij, qui ad Thimauum montem oriuntur. Et tandem cum vela vlterius tenderemus, Subur Ciuitatē, cum inſigni flumine, quod antiquum adhuc nomen vrbis tenet cōſpexi, vbi commeatus à gente Barbara ſuppeditati abunde ſunt, & cum in eam Vrbem aſcendiſſem inter multa Romani, & Punici ſæculi monumenta, hoc etiam à me latine traductum in magno marmore in foro reperi.

*Monumenta Olimiſſe Clari Viri.*

## OLIMISSA NEARBAL.

Olimiſſę Filius à Patricio Suburenſiū ordine litteris Latinis in Iunonia Africę capite, quam antea Carhaginem vocabant, incubui. Mox in vrbem Suburenſem reuerſus, multa patriæ meæ commoda attuli, ſub L. N. Paulo Conſule eam omni tributo liberam ad quinquennium feci. Deinde ſub P. Nigidio item Conſule, antiquos limites à vicinis vrbibus non Iure occupatos, ſub poteſtatem Populi mei

redu-



reduxi. Poſtea ſub P. Nigidio Mamerco cum mœnia Suburenſia maiori parte collapſa eſſent, tanta apud Conſulem gratia valui, quod è publico Prouinciæ tributo reſtituta ſunt, & tandem morte mihi adueniente, cum è decreto Patriæ publico ſepulchrum mihi, è marmore Numidico erigere deberent, & me Mauritaniæ Tingitanæ Prouinciæ Hiſpaniæ hominem appellarent, renui ego tantum Patriæ noſtræ dedecus, tantam Prouincię noſtræ ignominiam debere afferri.

*Mauritania Tingitana Africæ Prouincia.*

Poſteriores enim Romani, vt magnum toti Iberiæ nomen darent, & quod tota Hiſpania crebris colonijs, crebro præſidiorum vſu in linguam, & mores tranſierat Romanos, eam Prouinciam cum iure minimè poſſent, cum opprobrio

*Hiſpania in linguam, & mores Romanos tranſijt.*

no-

noſtro augere voluere, cum enim omnes in toto Orbe Prouinciæ, aut montibus, aut fluminibus, aut pelago dirimantur, & Africa tertia pars Orbis freto Herculeo diuiſa ab Europa ſit, nihil nos cum regione Hiſpana commune habemus; ò viri Prouinciæ Tignitanæ, ò magnæ Patriæ vrbes, ò clara oppida, adſurgite, & tantum à patria noſtra malum, & tantum à poſteritate noſtra nefas auertite, Africa enim pro habendo Orbis Imperio, ingentia cum S.P.Q.R. bella exercuit, & Hiſpania ſæpe à maioribus noſtris bello victa Prouincia noſtra nuncupari debet. Adſurgite præſentes viri, adſurgite poſteri, & honorem Prouinciæ defendite, pro decore quidem Patriæ mori opus omni parte nobile eſt. Ceſſi naturæ ſe-

cun-



cundo Diui FLAVII VESP. CAES. AVG. IMP. anno, xiiij. Kal. Iulij.

Ibi etiam in Ciuitate Suburenſi accepi per interiora paulum loca Bambam vrbem eſſe, quæ propagato per Mauritaniam imperio Populi Romani, Iulia campeſtris nuncupata eſt, quæ nunc quoque Barbaro idiomate Iulia dicitur. Quin etiã ſexageſimo inde lapide Septemtrionem verſus, Banaſem eſſe claram vrbem, in qua emporiũ magnopere celebre eſt, quę etiam nomen à Populo Romano inditum nouæ Valentiæ adhuc habet; deindè ſecunda trium dierum, & totidem noctium nauigatione, Salam oppidum Patriæ deſertæ vicinum in ripa fluuij, nec multò poſt campos Autololum vndequaq; refertos magnis Elephãtis, & longa, & lata ſub fuſcorum hominum agmina velociſſimis equis decurrentia, præ longis lanceis cum lucentibus cetris, & cum vario ſupra caput velamento ſpectaui, partim enim maxima ſudaria è delicatiſſimo bombili, filio, & aureo intertexta tenebant, partim candidiſſima linteamina per frontem, & humeros dependentia; & cum vela ad ſiniſtram volueremus. Athlantem montem vidi, Athlantem toti Orbi notum, Athlantem vertice ſydera tangentem, & per ora

Bamba Iuliam campſtris dictam eſt.

Banaſe noua Valentia.

Sala Oppidum.

Campi Authololum

Elefanti.

vul-

vulgaria currentem, cum magno veluti ſtupore ſpectaui, & tunc ego me felicem dixi, quod talia me cernere contigiſſet, & tunc ego me bono fato natum credidi, quod ea, quæ vates ſæculi antiqui tantopere celebrarunt, coram me conſpicerem, & tunc ego Athlantem montem à gente Romana, & Græca tantopere memoratum vndiq. luſtrare cæpi, qui viridia iuga, vaſta latera, imas vſq; ad mare, radices, immenſo per Auſtrum, & Septemtrionem ſpatio protendebat, qui longo adeò per Cælum curſu ferebatur quod altiſſimum culmen, quod remotiſſimum apicem, quod interiora ad longum tractum loca, nec ego ( per Deum immortalem ) nec vlli, qui mecum erant, penetrare potuere, & hic locus fabulæ datus eſt, Athlantem olim hominem mortalem, Cælum humeris ſuſtinere, eò quod cum viueret, & lato per Occidentem imperio potiretur non vt cæteri plerumq; Reges facere conſueuere, inter voluptates, & laſciuias conſenuit, ſed animum ad æterna bona, hoc eſt ad ingenium toto ſtudio excolendum, ad bonas artes, & ad doctrinam cum ingenti labore conſequendam vertens, omnem Cæli curſum, omnem ſyderum motum, omnem plane Aſtrologiam præalto per Cœlum ingenio conquiſiuit; Qua æta-

Athlas omnem Aſtrologiam in genio cõquiſiuit.

te



te Hercules Ioue, & Alcmena natus, fama magni viri motus, relicta Europa, hanc partem mundi eo ſæculo vltimam adiuit, ſphæram ſub Athlante didicit, & tantum poſtea bonum genti Græcæ indicauit. Huius etiam montis celebritate motus Perſeus Danae, & Ioue ortus ab Europa diſceſſit, in Mauritaniam, ad eum videndum, adnauigauit, & eo diù perluſtrato, totam Æthiopiam penetrauit, ad ipſos ſub Oriente Indos peruenit; & Diuus Aug. Imp. Populi Rom. mari, & terra pacato hoſtibus. Reip. in toto Orbe ſuperatis templo Iani clauſo, & Rep. optimis legibus, & ſanctis inſtitutis reformata, homines ab Vrbe Roma in vltimum Mauritanię axem cum hoc mandato deſtinauit, vt omnia altiſſimi montis ſecreta ſcrutarentur, qui tandem omnia vana, omnia commentitia, omnia à veritate aliena retulere. Cum enim ea ætate Athlantem in vltima parte mundi ſitum inacceſsibilem crederent, planè omnibus dabatur eas effingere fabulas, quas vellent, nunc verò alio orbe è regione Europæ, & Africæ reperto, & eo Oceano eo modo nauigabili effecto, vt nullum mare in toto Orbe, eo modo nauigabile ſit, omnia, quæ ante operiebantur, ita reteguntur; vt nihil nos latere queat; Verum ſi

Hercules ſphæram ſub Athlãte didicit.

quid

quid Romani compertum ex hoc monte, habuere, hoc fuit C. L. Cæſ. rem Populi Romani gubernante; Eo enim ſæculo arma Romana in Mauritaniam tranſgreſſa, eam debellarunt, & tunc primum Conſul, & Duces, & è Senatorio ordine Milites cum magna ad montem Athlantem gloria peruenere. Nec multò poſteà Suetonius Paulinus Conſul multa paſſuum millia vltrà tranſgreſſus, genti planè Romanæ eum montem aperuit, nihil tamen ſcripſit, nec ſuperiores quicquam, quod extet, ſcripſere, aliquam tamen memoriam reliquere. Ego verò, & ea quæ vidi, & ea, quæ relatu multorum hominum, qui integritate, virtute, multa rerum notitia, & multo decore florebant, audiui, ritè perſequar. Multa, & maxima ex hoc monte flumina emittuntur. quæ partim per remota Lybiæ, & Africæ littora deuehuntur, partim per deſerta Patriæ propinqua, partim per Æthiopiam deferuntur. Quæ acceſſu aliorum fluminum cum incredibili incremento per loca ſine fine plana, adeò effunduntur quod apertam vbique, effigiem magni maris reddunt; Multi Populi in eo monte Deos adorant, multi Maumetum Arabem veluti magnum Dei legatum venerantur, & ſequuntur, incolæ montis Athlantici nobiliori iudicio, viui-

C. Cæſ. Mauritaniam debellauit.





diori longè ingenio, quam finitimæ nationes, agunt; quod quidem ex hoc obuenire exiſtimo. Cum enim ingenia hominum è nimio calore, vel è nimio frigore hebeſcant, & in graui vltimæ Mauritaniæ æſtu incolæ eius montis in alto, & eminenti per calidas nationes culmine viuant, adeò vt non eo ardore premantur, quo ij, qui ad radices immenſi iugi ſunt, vel per extenta, & torrida propè plana, degunt, ſed moderato vndique vento temperentur, quem ſol nimium eſſe non ſinit, iure credendum eſt, viuidiora ibi ingenia eſſe, vbi nimio calore, vel à nimio algore libera ſunt, quam vbi hæ duæ peſtes generi humano maximè infenſæ vigent. In eo monte omnia varijs arboribus, varijs fontibus, vario fructuum genere, referta, ſunt, qui ex admirabili aquarum vbertate procreantur. Ea verò; quæ de Faunis, Satyris, Semideis, Incubis, & ſonitu per noctem audito referuntur noſtro tempore, vana ſunt; Sed illud, quod ego comperi, Cœlum ibi ſaluberrimum eſſe, corpora humana diutiſſimè viuere. In latere huius montis in loco amęno, & paulum à via publica ſemoto, hoc monumentum, è marmore excerpſi, cum maxima barbarorum admiratione, qui longa multorum temporum ſerie elementa Romana igno-

Miræ res mõtis Athlãtis.

rabant; Imperium tamen Rom. toto Orbe potitum fuiſſe, & Populis Athlanticis, & toti Æthiopiæ notum eſt, vbi aliquod hemiſphærij noſtri nomen quandoque penetrauit, & maximum, & immortale antiquorum Conſulum, & Imperatorum decus, non in ipſa ſolum Europa, Aſia, & Africa, ſed in ipſa quoque Æthiopia ſe pandit. Elementa monumenti hæc erant.

Monumentū P. Aemilij Caſtrici.

EGO P. AEMILIVS CASTRICVS, homo Senatorius, & Conſularis, cum poſt multa in S.P.Q.R. benefacta, inuidia Ciuium laborarem, (obeſt enim quandoq; benefacere, ſed à bono minimè opere deſiſtendum eſt), in Mauritaniam Tingitanam traieci, in latere Montis Athlantis ſubſtiti, Aedem Apollini Deo reſtitui, domum templo coniunctam erexi, quo riui, quo proceræ arbores vbiq; ſunt, & Antiſtes templi factus, omnia tempora in poſterum quieta tranſiui contemplationi rerum diuina-





rum, & literis vacando. Diſcite à me, qui poſt rem optimè nauatam malè à Ciuibus tractamini; præſtat enim in loco ſolo, & à Patria remoto viuere, quam in magna Ciuium controuerſia perpetuò agere, licèt magni quandoq; honores proponantur. Ego verò non potui longius à patria fugere, ſi potuiſſem, longius fugiſſem, tempus habui, quo viuens mandarem hæc in marmore ſcribere, ſculptore mecum manente. Ego P. Aemilius Libertus hæres ad lachrymas relictus ſculptore ab Aede Apollinis diſcedente, monumento imperfecto remanente, & morte P. Aemilio Antiſtiti obrepente hoc poſtea addidi.

Bonum cõſilium.

P. Aemilius Libertus optimus.

P. Æmilium herum meum odio Domitiani Auguſt. Veſp. Imp. Filij laboraſſe ex

hoc apparet, & tota ſactione Principis ob virtutem ei aduerſante Vrbe Roma aufugiſſe, ſub montem Atlantem ſanctiſſimè vixiſſe, & cum magno Populi Atlantici luctu vita functum fuiſſe, primo Neruæ Traiani Cæſ. Aug. Imp. anno, & tertio Kal. Iun.





# ALEXANDRI GERALDINI EPISCOPI.

## LIBER SECVNDVS.

NAVIGATIONE mea ad Atlantem vſque montem, enumerata (Pater Beatiſſime) vlterius progrediendum eſt, ſed neſcio quo rerum cæleſtium influxu, ignoro quo ſyderum motu, tanta in omni gente varietas vitæ retinendæ data ſit, vel vt rectius loquar, tanta à Deo Opt. Max. poteſtas rebus ſupernis attributa, vt omnia in miſera hac mole mundi diuerſa maneant. Quædam nationes omninò hebetes ſunt; quædam ingenio ſublimi agunt, quædam ad arma tractanda pronæ, quædam ad ingenia cum ingenti ſtudio excolenda, quædam ad mercaturam, quædam ad agriculturam datę omnino ſunt, quædam adeò mercuriales, vt ſine vllo docto-

re res eo modo viuaces effingant, vt minimè credendum ſit. Partim hominum Rempub. amant, omne exiſtimant bonum in libertate maiorum retinenda manere, imperia regum volunt; partim quò magis à ſole diſtant, candidiores ſunt, auratis capillis, & lumine vbiq; glauco, partim quò magis ad calorem Phœbęum accedunt, magis fuſci, acie nigra, & comis planè nigris. Ij populi, qui pone Atlantem ſunt, de quibus ad præſens dicendum eſt, à prima Patriæ inſtitutione vagi in perpetuo errore ad nouas terras cum magno ſtudio quærendas egere; verum tempore Rom. Imp. Mauritania Tingitana à Diuo C. L. Cæſ. debellata, coacti ſunt antiquum errorem relinquere, vrbes incolere, vnionem ciuium amare, & magna intra oppida coire. Fr. enim Gonſaluus Cashalia homo integritate, doctrina, & ſanctimonia probata agens, & è religione Sancti Hieronymi, cum è publico Ferdinandi Regis, & Eliſabettę Reginę Hiſpanię Imperio Africam, & regionem deſertam ad ipſos vſque Æthiopes penetraret, in ipſo ingreſſu patriæ deſertæ, cum Mauritaniam pone relinqueret, altiſſimis è vario marmore columnis, hæc monumenta variorum Imp. Legit.

Populi patriæ deſertæ ſemper vagi.

Populi patriæ coacti à gente Rom. ſunt vrbes incolere.





IMP. NERO CL. CAESAR AVGVS. GERMANICVS PONT. MAX. TRIB. v. IMP. iv. P.P.

PVBLICO EDICTO IN exitu Mauritanię Numidię Prouinciæ Carthaginenſis in Aegyptum vſque emiſſo caduceatore, & pręcomandatum noſtrum exequente, in marmoreis poſtea columnis vbique ſculpto edicto, impero, & volo omnes populos regionis deſertæ vagos, & errabundos, qui latiſſimo terrarum cardine à monte Atlante in Aethiopiam vſque ſe protendunt, & longiſſimo ab Oceano patriæ deſertæ ad Erythreum mare ſpatio ſe effundunt, pagos, vicos, oppida, & vrbes ritu Africæ, & Lybiæ condere, more Ciuium agere: alioquin eos, cum coniugibus, liberis, ac omni patriæ fortuna pro capti

Mandatum Imperatoris.

Nobile edictum C. L. Neronis.

uis vbique haberi;vilia veluti mancipia commutari, & diſtrahi per totum latè orbem Romanum mando, & iubeo.

Et in eo quoque loco cũ multa alia variorum Imp. edicta eſſent, quæ hic ponere non curaui, hoc monumentum Veſpaſiani Impp. è longiſſima columna erutum, hic poſui.

IMP. CAES. AVG. PONT. MAX. TRIB. POT. ij. IMP. vij. COS. iv. DESIGNATVS P.P.

Edictum Veſpaſiani.

COMMVNI TERRARVM bono cupiens conſulere veluti Romanorum Principem orbi antepoſitum decet, edico, & mando omnibus Procoſſ. Prætoribus, Proprætor. qui publico Imper. nomine Mauritaniam, Numidiam, Lybiam, & Africam adminiſtrant, vt ad priuatas domos, ad publicas patrię ędi-





ficia, ad templa, & mœnia vrbium, & oppidorum conſtruenda magiſtros parietum, fabros lignarios, ferrarios, carpentarios, & reliquos eiuſdem artis peritos, architectos, & opifices populis patriæ deſertæ ſubminiſtrent, alioquin ab ipſo per prouincias magiſtratu, ab Imperatorio planè munere reclamatione ad nos facta, è veſtigio amouebuntur. Opus ſiquidem Principum Romanorum eſt toti vbique orbi prouidere.

Pulchrum mandatum.

Et ipſæ cum magno ordine columnæ ad Æthiopes vſque qui ſub Ægypto ſunt, ſe protendunt, in quibus quanta Rom. Reip. amplitudo, quanta Imperij gloria fuerit, ſe abundè aperit. & vt ad rem inchoatam redeam. Eſt regio deſerta immenſa, effuſa à monte Atlante ad mare vſque Erythreum, à finibus Mauritaniæ, Numidiæ, Lybiæ, & reliquę Africæ in Æthiopiam vſque, in qua pagi nulli, vrbes nullæ, oppida nulla manent; ſed vagi populi ſine

Inſcriptio terræ deſertæ.

vlla requie, in labore Siſyphio viuũt. Hinc viginti, hinc triginta hominum millia, cum coniugibus, liberis, ac omni familiæ fortuna diſcedunt. ſub hiſce ducibus, ſub eo hominum genere, qui maiori prudentia, maiori per populos auctoritate, altiori apertè ingenio agunt, humidiora per Auſtrum loca quærunt, vbi terra proſciſſa, arata, tritico collecto, cum Camelis, gregibus, & iumentis, ad alias per orientem ſedes tranſmigrant. Illic decem, illinc quinquaginta, illinc centum mortalium millia cum auſpicio ſapientum plauſtra mouent. Nullos enim Reges habent, liberi ſunt cum rebus domeſticis, cum longa gregum, & armentorum multitudine, alias in alio cardine terras quærunt. Hinc quadraginta, hinc, ſexaginta hominum millia Septemtrionem verſus contendunt, vberiora Africæ regna petunt. Indè mille, indè quingenta, indè ducenta millia ſimili mutandarum ſedium ſtudio trahuntur: & ij mortales tot ſunt, quot nullo poſſunt modo numerari. Ex quibus aliqui in aſſiduo bello viuunt, ad littoralia enim Lybiæ, & Africæ loca, ad remota Ægypti oppida delati, grandem prædam inde abducunt, multa millia pecorum inde exportant: & ne agros populentur magna auri mole Ciuitates redimere

ſe



ſe cogunt. Alij Æthiopiam inuadunt, vndè ea hominum, ea fœminarum agmina ſurripiunt, quod totam latè Europam, & Aſiam multitudine ſeruorum replent, quos ipſi pro minima re, cum maritimis populis permutant, vel paruo pretio cum exteris Italiæ, Siciliæ, & Hiſpaniæ mercatoribus diſtrahunt; eſt hæc regio omnium ſaluberrima totius orbis, in qua homines in graui ſenio fortiſſimi ſunt, in extrema tantum ætate occumbunt, & quod mirum eſt, cum pauperes generati ſint, ſe omniũ Africæ nobiliſſimos iactant, nec qui vilia opificia exercent ab ea vllo modo opinione ſe auocare queunt, vt alicui eorum, qui opulentiſſimi ſunt, nobilitate, & antiquo maiorum genere cedant. Ij cum longa ſolum lancea, & cetra maxima cum exteris gentibus prælia committunt, & cum admirabili agilitate cum milite vbique armato certant. Nudo capite progrediuntur, vnum ſupra nudum corpus capitium, è ſago punico gerunt: puellæ, & cæteræ fœminę ſimplici veſtitu ex eodem ſago vtuntur. Nuptæ aliquo lineo velamine caput tegunt. Sub tentorijs, ſub dio vitam ducunt. In aſſidua ad remotas terras peregrinatione agunt. Corpora ad æſtum, ad laborem, ad inediam parata omni tempore habent. Nullo lautarum

Regio ſaluberrima totius orbis.

Fortiſſimo hominis.

epu-

epularum genere emolliuntur, nullo vino madent, nullis plumis, nullo delicatorum cubilium cultu vtuntur, nihil in tota gente opiparum apparet: lacte, carne, pane, nec ſemper triticeo nutriuntur. Pauci, niſi vltimo ſenectæ tempore, intereunt, niſi qui ferro, aut morſu ferarum ſuccubuere imperio Romano per totum orbem florenti; celebres vrbes, & clara in eo axe oppida incoluere, vt magna vrbiũ cadauera, & magnæ oppidorum ruinę apertè indicãt, & idem Fr. Gonſaluus Caſſalia in maxima quadã vrbe in effuſo plano demolita, & in magno patriæ foro, duo Imperatorum monumenta è duabus columnis, quarum altera in ingreſſu magni fori, altera in exitu erat, excerpſit, quę hæc ſunt.

IMP. CAES. DIVI NERVAE F. TRAIANVS GERMANICVS. DACICVS PONT. MAX. TRIB. POT V. CONSVL. VI. P. P.

CVM PVBLICVM PATRIAE deſertæ bonum, cum omne eius terræ commodum animo noſtro iure inhæreat. Opus enim Romanorum Imper. eſt vtiles toti orbi, leges dare, hoc decreto omnibus gentibus propoſito, quæ antea vagę huc, & illuc erant, mandamus, vt ſi qui magnam gregum molem, ſi qui magna armentorum agmina habuerint, ea per ſeruos, vel per alios ſtipendio conductos cuſtodire faciant, ipſi verò intra vrbes, & oppida remaneant, vel ſi per heros gregum, vel armentorum cuſtodiri oportuerit, volumus coniuges, & liberos intra Ciuitates, & oppida ſe continere: alioquin bona eorum fiſco adſcribi imperamus, ipſos verò, vxores, filios, & nepotes ſub haſta in publico vrbium foro vendi, ſeruos fieri, qui nullo poſteà tempore queant ab heris eorum manumitti, & tota quoque poſteritas eidẽ legi ad ceteſimum annum

ſubiaceat, decreuimus enim depra-
uatam à tota regione conſuetudi-
nem perpetuò vagandi, omninò
tollere.

Altera columna Adriani Aug. è regione erat, & multa quoque edicta multorũ Principum cum varijs titulis per pontes, & loca patriæ publica apparebant, quæ hic ſcribere non curaui. illud verò, quod Adriani Imp. erat hic ponere volui.

IMP. CÆSAR.
DIVI TRAIANI PARTHICI FI-
LIVS DIVI NERVAE NEPOS
TRAIANVS ADR. AVG. PONT.
MAX. TRIB. POT. COS. iij.

QVONIAM MVLTI nolentes ab antiquo maiorum ritu ſe retrahere, ſed inteſtato patrum errore viuere animo eorum omnino inſidet, adeò quod per loca Aethiopiæ finitima, cum Camelis, equis, bobus, plauſtris, & reliquis familiæ animantibus aſſiduè ober-





rant ſub diuo viuunt, omnia Ciuitatum cõmercia, omnia per oppida incolatum euitant, & multos ad idem agendum inducunt, & ſi aliquem cum publico magiſtratuum edicto, cum aperto Conſulum imperio ad ſe iturum autumant, è veſtigio in Aethiopiam deferuntur, propter eà ipſis prouinciarum Conſ. Proconſ. Prætor. Proprætor. & quibuſcunque populorum Pręſidentibus publico edicto mandamus, vt cum electo militum ordine contra illos accelerent ex Aethiopia, ſi fieri poterit, eruant, per vicina vrbium fora, per loca oppidorum publica cum crudo, & truculento lęthi genere conficiant. Nullo enim modo eam gentem ad antiquum viuendi morem relabi ſinere tolerandum eſt.

Quomodo populi patriæ deſertæ vrbes reliquere.

Et in omnibus vrbibus ſimiles columnę, per fora, per triuia, per loca publica cum varia Imperatorum edicta ſunt. Sed quomodo populi patriæ deſertæ multas, & illuſtres vrbes, præclara, & multa eorum oppida relinquere, referendum eſt. Cum Heraclius Africæ proconſul Phocam Imp. non eo conſilio rem Populi Rom. adminiſtrantem, quo oportebat, interfeciſſet, & Imperio armis occupato, ad præclara opera per totum orbem peragenda ſe conuertiſſet; nam ducem Perſarum ſingulari certamine in ponte Dãnubij ſuperauit, vtroq. exercitu illud certamen proſpectante Coſdroam Regem in Turri auro plena cępit; Perſidem debellauit, filium Coſdorę, eo quod ad ſancta fidei noſtrę iura venerat, in regnum reſtituit, templa per prouincias Imp. Rom. à Coſdroa Rege demolita reparauit. Poſtea cum ad Aſtrologiam, ad artes magicas, & ad multos contra legem errores deſcendiſſet, & relaxata bene imperij adminiſtrandi cura, publicani totum Orientem expilarent, & ob eam rem in magno vbique odio agerent, Mahumetus Arabs ignobili genere ortus; animo à natura malo viuens tempora nactus, in quibus ad magnũ aliquod ſe facinus pararet, ad magnum aliquod malum accingeret, cum Hebręam, & Chri-

Phoca Imp.

Clara Heraclij geſta.

Mahumetus Arabs.

ſtia-



ſtianam ante legem per multa Aſiæ templa cognouiſſet, vt exitiale aliquod malum genti humanæ afferret, vt magnum ſibi nomen compararet, nouam ſectam ex vtraque lege cõfinxit, ac eo modo Arabia egreſſus grandi multitudine gentium eum ſequente, & ſe ſummi Dei legatum nominante ad cœlum toti genti humanæ aperiendum, legiones Romanas profligauit, Aſiam, & totum Oriẽtem occupauit. Quo ſæculo ſecta eius etiam in Africa inualeſcente, cum res Romanæ omninò fractæ iacerent, populi regionis deſertæ in libertatem ſe erexere, æquas Romanorum leges relinquere, curam ingenij excolendi reiecere, ſancta omni vitæ humanæ inſtituta omnino repulere, & cæleſti quodam ſydere eos mouente, omnem vnionem Ciuium fugauere, ad antiquum viuendi ritum rediere, qui erat vt vagi in perpetuo motu ſub diuo viuerent, & in aſſidua ad nouas terras peragratione agerent. Nam vt veteri prouerbio vtar, facile quique ad naturam ſuam redeunt, quę tamen natura inſtinctu à cœlo veniente, mouetur. ac eo modo populi regionis deſertæ vagi iterum, & inculti facti ſunt. Sed relinquendum minimè eſt, quæ monumenta in ipſo fine patriæ deſertæ, & in ipſo Æthiopiæ limine ſunt. Innumeræ è vario colore

Populi regionis deſertæ rediere ad antiquum ritũ vagandi.

co-

columnæ, quæ grandi vbique mole agunt, in exitu patriæ deſertę, & in ipſo Æthiopiæ ingreſſu conſurgunt, quę ad remotam vſque Æthiopiã, quæ ſub Ægypto eſt, longo ordine ſe protendunt. Nam innumerabilia marmorum genera regio deſerta, & Aethiopia gignit, quæ columnæ per ſingula viginti ſtadiorum ſpatia cum varijs Imper. edictis omnibus latè gentibus ſe explicant, quæ ea ratione ad longum adeò remotæ Terræ interuallum poſitæ ſunt, vt toti orbi pateret limitem certum Æthiopiæ, & regioni deſertæ conſtitutum à gente Romana eſſe. Quo ſæculo ego credo veteres Quirites prę altum vertice cælum contigiſſe, & hominum dignitate, qui non minorem curam de toto orbe ornando, quando ipſam priuatim Rēp. tenebant, & ciuium decore, qui non minorem rationem de ingenio remotiſſimorum populorum excolendo, quam de ipſa planè vrbe habebant. Qui latiſſimo per totum orbem imperio eorum mortalium florebant, qui iudicio, ratione, & conſilio valebant. Sed inter plurima monumenta, hæc duo hic ſcribenda eſſe cenſui.

Innumerabilia marmorum genera regio deſerta, & Aethiopia gignit.

Limes Aethiopiæ, & regionis deſertæ conſtit. à Romanis.

Alta Romanorum dignitas.

IMP.



IMP. CAES.
M. ANTONIVS VERVS INVICTVS AVG. PONT. MAX. TRIB. POT. viiij. P.P. COS. ij. PROCOS.

NVLLI CONSVLES, NVLLI Procoſſ. Nulli Prætores, nulli Proprætor. nulli prouinciarum Præſides hos limites columnarum in introitu Aethiopiæ poſitos, qui verum cardini exuſto terminum, deſignant cum exercitu pertranſire audeant.

Monumentũ M. Ant. Veri.

Romani ſiquidem nullum in Æthiopia imperium habere deſiderabãt in qua ipſæ Quiritum legiones, ipſi exercitus, ipſi milites leuis armaturæ ſub infando ardore, ſub diſſimili cœlo, ſub alia terræ effigie deperiſſent. Vbi nudi homines ſunt, omnia domicilia è luto ſtructa habent, vbi præter Principes, & optimates, nullum reliqui decorem ſeruant, nullam vitæ humanæ actionem in ordine generi hominum attributo habent, & ſequuntur, niſi

Romani nulli in Aethiopia Imperiũ habuere voluerunt.

C quod

quod hoſpitales ſunt; ibidem etiam aliud M. Aurelij edictum in alia columna ſculptum eſt.

IMP. CÆSAR.
M. AVRELIVS ANTON. PIVS FELIX AVG. PARTH. MAX. BRITANNICVS MAX. GERMANICVS MAX. PONT. M. TRIB. POT. xij. IMP. iij. COSS. iiij. P.P.

CONCEDIMVS LEGIONArijs militibus, qui priuatim, vel turmatim pro ſeruis capiendis ad ipſam voluerint Æthiopiam pertranſire, liberè pertranſeant; hiſce tamen gentibus fide reſeruata, quæ ad tributa populo Romano dependenda ſponte deuenere, Conſules tamen Proconſ. Prætores, Proprætores, & exercitus noſtros; propoſito publico edicto, prohibemus eum axem vbi immenſi vbiq. calores ſe retegunt, nullo modo ag-





gredi. Ipſi enim Rom. iure læti latiſſimo Europæ, Aſiæ, & Africæ cardine reijciunt Aethiopiam, quæ ſimilia nulla orbi Romano ornamenta habet, veluti Scythas reiecere ſub ipſo Septemtrione vagos, nec hominum ritu viuentes.

Rom. Imp. Europæ, Aſiæ. & Africę læti reiecere Ethiopes. & Scythas.

Indè à regione deſerta breui duorum dierum nauigatione ad Inſulas fortunatas delati, terram à primo ſtudio iuuentę meę optatam vidi, licet multi auctores, qui pręclaro olim ingenio vixere eas infortunatas appellarint, eò quod ſteriles eſſe videantur, & ſola caprarum multitudine abundarent, ſed noſtro hoc ſęculo ita tritico, vino, ordeo, omni gregum, & armentorum genere, omni fructuum varietate abundant, vt nulli planè regioni in toto orbe cedant. Canaria omnium maior à multitudine canum magnorum dicta Ciuitatem eiuſdem nominis Bætice Coloniam tenet, vbi nunc magni prouentus è plurimo ſaccaro ſunt; vbi mortales diutiſſimè viuunt, cœlũ enim vbique ſalubre eſt. Ningaria à multa in altis montibus niue nomen habet. Nunc Gomera dicitur, in ea duo oppidula à populo Hiſpani-

Inſulæ Fortunatæ.

Magna vbertas Inſulæ fortunatæ.

Canaria Bethicæ Colonia.

Ningaria Inſula.

co condita ſunt, vinetis, gregibus, armentis, & multo venatu clara; in extremo angulo pulchrę Inſulę altiſſimum montem, Ætnæos ignes euomentem, & pumices totoτο littore diſperſos vidi. In Iunonia Inſula cæmenta tẽpli eiuſdẽ Deæ conſpexi, baſidem altaris, in qua ſcriptum erat.

Iunonia Inſula.

ARA IVNONIS A GADITANIS CONDITA.

Pluuialia, modò Inſula ferri nominata, in ea nullum ſtagnum, nulli fontes, nulli riui, ſed quod magnum naturę miraculum

In Pluuialia Inſula magnum miraculum.

eſt, vna tantum arbor aquam ex internodijs foliorum emittit, quæ toti populo, & omnibus patrię animantibus abundè ſufficit, & hęc arbor ignota omninò eſt, quam ego cum ſtupore ſpectaui, & miror hoc à gente Romana, & Gręca prętermiſſum

Capraria Inſula.

eſſe. Capraria à multitudine caprarum vocata eſt, quarum carnes, carnibus noſtris arietinis pręſtantiores ſunt, modo Tenariſia dicitur, in ea pulchrę in latere montis vineę ſunt, pulchra chryſomela, pira plurima, etiam poma, & mediocre oppidum eſt.

Ombrion Inſula.

Ombrion Inſula vnum in montibus ſtagnum tenet, quo armenta ſe ſuſtentant, & quod dictu mirabile eſt, habet ferulas nigras, ex quibus aqua planè ama-

Miraculum.

ra exprimitur, habet albas, quę optimum





prębent liquorem. habet puteos, & ciſternas pro communi vſu.

Palma Inſula.

Palma Inſula viſu oblectabilis eſt.

Planaria.

In Planaria quędam herbæ pro pannis tingendis optimę ſunt.

Iunonia minor.

In Iunonia minori Ædiculę veteris veſtigia apparent. Hę Inſulę pręter Canariam, & Ningariam paruę ſunt, & triceſimo antea anno captę; Incolę omnes in Bæticam traducti robore corporis, & funda plurimum valebant, è folijs palmarum, è pellibus animalium induti erant, putabant orbem terrarum diluuio ſubmerſum eſſe, & ſola Romani nominis memoria apud eos ſupererat, non ſcriptis, ſed longa ſerie maiorum eam rem poſteris referente.

Q. Sertorius.

Ad has Inſulas olim Q. Sertorius, vt omni planè bello ciuili ſe amoueret, & vitam perpetuo quietam duceret, traijcere voluit; ſed ab amicis diſſuaſus id prętermiſit.

# ALEXANDRI GERALDINI EPISCOPI.

## LIBER TERTIVS.

EGO rerum naturæ ſcrutandarum cupidus, quarum Æthiopia ferax eſt, cum Idibus octobris è Pluuialia Inſula diſcederem, & ad Æquinoctialem mundi plagam eundum dextera eſſet, & Æthiopiam ſub meridie retentam eo modo cernerem, quod tametſi longa multorum dierum nauigatione per eam ferrer, non tamen ob eam rem longius ab Æthiopia, quam ab Inſulis fortunatis iter meum fieret, vela poſteà ab ipſo Æthiopum axe, ad ipſum Æquinoctium, & Ædem Sancti Dominici conuertendo conſtitui gentem omni ſæculo liberam Imperio Europæ, & Aſiæ adire. Conſtitui orbem à nullo conſulari exercitu ambitum penetrare; conſtitui regionem à gente Romana, & Græca minimè conſpectā intueri, præſertim cum nullum in ea nauigatione periculum eſſet, eò quod mollia in eo Oceano maria ſemper ſunt, lenes auræ aſſiduè fiant, & maxima nulla ibi tempeſtas oriri poteſt. Itaq. præfecto nauis ad me vocato, & aucto ei, & cæteris ſocijs naulo per latiſſima Æthiopiæ littora vela tendere imperaui, & regione Azaganorum ponè relicta, in qua viri vultum velamento tectum omni tempore tenent, & illum detegere pro magno veluti dedecore habent, adeò quod inter comedendum duo vtriq; lumini foramina, & vnum ori apertum è toto vultu tenent, & Senega flumine decurſo, vbi magnum naturæ miraculum apparet, quod in altero latere ſubfuſci, in altera nigri omnino incolæ ſunt, & Azagani in patria ſterili Mahumetum colūt, & populi Baſſæ regionis Æthiopum in ſolo vbertate pleno, varios Deos, varia ſimulacra, varia Deorum numina adorant, & cum in eo eſſem, vt de nobili flumine lato ad vnum miliare, & de conſilio Azaganorum in ea parte corporis tegenda, quę aperta ſemper eſſe debet, cuperem cognoſcere: Nam alta hominum amplitudo in ipſo ore; in ipſa frontis maieſtate, in ipſa planè effigie ſe aperit, cum vicini cuidam amplo pago eſſemus,

Æthiopes liberi Imperio Aſiæ, & Europę.

Azagani vultum tectum tenēt.

Miraculum naturæ in flumē Senega.

Baſſa regio.

ſemus, & famuli mei vnà cum interprete vbiq; euulgarent, me magnum ſub plaga Æquinoctiali Antiſtitẽ ad ea littora perueniſſe, cum forte Pontifex Baſſę regionis, qui in latiſſima ditione innumeris Deorum Sacerdotibus, innumeris populis præerat, eo tempore ad populum ſuum vbiq; adminiſtrandum ad litus Oceani veniſſet, è veſtigio obuiam mihi exijt cum multiplici ſacrorum hominum agmine, cum magno populi numero, & cum me benigniſſimè tractaſſet, in pagum introduxit, primarium hoſpitium mihi aſſignauit, lautiſſimo conuiuio me excepit, & tamen mane ſuccedente, cum cauſam aduentus mei quæreret, & ego me ſtudio Æthiopiæ videndæ veniſſe referrem, vt viſis multarum nationum legibus, & varijs gentibus in remotiſſimo axe peragratis fierem doctior exemplo magni Platonis, & aliorum, qui eadem ratione multas gentes, multos populos, & totum latè orbem peragraſſent, & cum ille vehementiſſimè, ſtudium meum laudaſſet, & multos Præſules Æthiopum eodem conſilio moueri ſæpè affirmaſſet, & ego de ſtatu Azaganorum peterem in vultu corporis tegendo, quem ceteri in toto orbe populi detectum tenent, & quem ſummi quiq; Philoſophi è toto corpore apertum eſſe voluere. Ille

Pont. Baſſæ regionis obuiam exijt Epiſcopo S. Dominici.

re-



reſpondit, Azaganos mediocri ſtatura, corpore informi, vultu omnino fœdo agere, robore vero illuſtri, & ob vina quibus abundant, à finitimis populis, & à gente longe ſummota, quæ corpore excellit procero, & ore nobili, licet nigro, frequentari, & antiquiſſimis Æthiopiæ ſæculis contigiſſe, ſapientem Regem, monſtruoſa effigie in regno eorum ſuccedere, qui, vt priuatam ignominiam vultus ſui celaret, cępit illum ſudario lineo contegere, vt pari modo populum induceret communem vultus deformitatem velamento nigro tollere, & indè illum ritum toti genti remanſiſſe, & eam conſuetudinem illi regioni indelebilem factam eſſe. Fluuium Senegæ è brachijs Nili ortum, ad vltima Æthiopiæ regna deſcendere, & Nilum è montibus Lunę egredientem bifariam diuidi, & partem ſuperiorem per longos excurſus, per longas ambages, per multa Aethiopiæ regna ignota omnibus Europæ, & Aſiæ populis, nobis tamen nota, in Aegyptum ſe effundere, & per ſeptem ora in mare Carpathium procurrere, quæ nomina nobis noua ſunt. Nam in libris patriæ Baſſæ ſacris, Aegyptus antea Nilus dicebatur longè antè Iſidem Deam, quæ prima frugum inuentrix fuit, quę Orum magnum Regem genuit, quę vtiles toti patrię leges

Cur Azagani vultũ tectum tenẽt.

Senega flumen à Nilo ortum.
Nilus bifariam diuiditur.

Pulchra res.

Aegyptus antea nilus dicebat. Iſis.

de-

dedit,& in alto poſtea cœlo ſtella refulſit,

Oſiris.

longè ante Oſiridem Deum, qui multas vrbes,multa in Aegypto oppida condidit, & multa illi patriç bona attulit. Nam libri noſtri ante nomen Aboriginum,qui ſupra Albulam fuere, antè nomen Grçciç inditum,ante omnia Aſſyriorum,Medorum, & Perſarum,& Macedonum monumenta memoriale è marmore nigro erutum tenent,

Antiquitas Baſſe Regionis.

quod marmor, nec humiditate, qua Patria noſtra caret,nec çſtu,quo ſcopuli,& montes erumpuntur, nec vllo temporum curſu abſumitur.

Marmor nigrum nec frigore, nec calore, nec humiditate, nec tempore corrumpitur.

Partem verò inferiorem Nili per plurimas, & remotiſſimas Aethiopiæ partes ſe diuidere adeò manifeſtum eſt, vt nihil magis eſſe queat, & multa ab hac regione vbi hoc flumen Senegæ eſt,ad alium vſque axem terrç Antipodum à Græcis Antarcticon, à noſtris Caſſionem nominatum, oſtia habere certiſſimum eſt.

Caſſionideſt Antarcticô.

Obſtupui fateor tãtam in homine Aethiope peritiam cernere,& cum de Dijs eorum inquirerem, comperi eos plura adorare ſimulacra, quæ ad ipſa Zodiaci aſtra referuntur,& alia quoque ſidera, quæ ad itinera mari, & terra obeunda, vel hominibus proſunt, vel genituræ infantium fauent, vel aliqua commoda ad tempora genti humanæ cognoſcenda ferunt; Deindè cum de Templis Deorum, & de anti-

qui-



quitate patriæ eorum peterem,reſpondit, maxima nulla in toto axe Aethiopum tẽpla eſſe ſine magnis monumentis eorum Præſulum,qui magna religione laudata integritate, probato viuendi genere, & teſtato ſanctimoniæ nomine egere.

Maxima tẽpla, & monumenta æthiopiæ.

Quin totam Aethiopiam, vel edictis Præſulum, quæ per templa ſcripta ſunt, vel decretis Regum, vel oraculis Deorum gubernari, & ſi qua per populum dubia oriuntur,quæ nec in edictis Antiſtitum, nec in decretis Principum contineantur,ſi pia, vel ſacra ſunt,ea à Pontificibus, vel ab alijs, qui vicem Pontificum tenent, terminari; ſi profana, arbitrio eorum ſenum, qui præclara omni tempore vita, & prudentia egere.

Tota Aethiopia gubernat. vel edictis Præſulũ, vel decretis Regum, vel oraculis, Deorum.

Nam Aethiopia diffuſas leges, & iura diu detentura homines in lite, & graui impendio omninò reiecit.

Aethiopia reiecit diffuſas leges, & lites.

Antiquitatem verò Patriæ eorum in regione Baſſæ, vt ea monumentis eorum marmorum elici poteſt, quæ nec humiditate, nec calore, nec vllo temporum curſu corrumpuntur vltra triginta annorum millia eſſe,& fundamenta veterũ ædificiorum ex eodem marmore planè indicare res Aethiopum omnem ſuperare antiquitatem aliarum gentium, & ſeptingenteſimo inde lapide in interiori Aethiopia templum ſuum magnoperè ſublime eſſe, in quo monumentum Sancti

Antiquitatem patriç Logomar.

Pa-

Nouem annorum millibus monumentum.

Baſſarous Rex.

Luſtra Barrabeæ terræ.

Patris Dabiri cū hiſce characteribus eſt, quod monumentum ante nouem annorum millia (vt è commemoratione antiqui luſtri Barrabeæ terræ colligi poteſt) ſculptū eſt; Quod luſtrum à Rege Baſſaroo ea ratione conditum eſt trigeſimo, & milleſimo quinto ab hinc anno, eo quod cum Barrabei magnam è populis finitimis victoriam habuiſſent, reſpondere Dij, patriæ, ſe velle in memoriam magni adeo beneficij vnoquoque quinquennio ludos ſibi cum Camelis, Elephantis, & vario pugilum genere celebrari, propoſito victoribus magno munere à Rege Barrabeæ terræ; & quoniam Sacerdotes in patria conſtituti ſunt, qui res vniuſcuiuſq. luſtri deſcribunt, & illic magnæ Baſſæ patriæ memoria, nec parua templi mei mentio habetur, quia nouem mille anni à condito monumento magni Dabiri recenſentur, propterea hæc nota mihi ſunt. Litteræ monumenti hæ erant.

DABIRVS BASSÆ PATRIÆ PRÆSVL.

Pulchrum monumentum.

Omnium Syderum Cęli ſeruus, Pater Populi mei voluntate ſuperum electus, vt ei piè, & ſanctè pręeſſem,



eſſem, qui & præfui viuens, & morte ſolutus præero ſemper, nam Deos aſſidue orabo vt omnia populo meo beata, omnia toti patriæ felicia obueniant. Filij mei, ſeruate cultum Deorum; per omnia ſæcula integrum, nam ipſa ſydera Dij ſunt, & ipſi longam patriæ veſtræ pacem dabunt. Filij mei, magnam locis ſanctis, & Sacerdotibus reuerentiam exhibete, & ipſi Dij omnia à vobis odia amouebunt, magnam poſteritati veſtræ vnionem tribuēt. Filij mei, debitam genti ſacræ alimoniam prębete, cuicumque inopi ſubuenite, & pauperum hoſpitales eſtote, ac eo modo ipſi Dij, qui omnia vident, omnia ſentiunt, omnia audiunt magnas omni parte opes, vobis accumulabunt, bonam poſteritatem reddent. Filij mei ama-

Præcepta Dabiri.

Pium conſilium, vt populi ſacerdotes venerentur.

Sancta monita.

te

te omnes, qui effigie agunt humana,& ipſi Dij vos integrè amabunt. Filij mei, diligite ſummoperè antiqua numina, quæ patres veſtri coluere, quæ in hunc vſq. diem, patriam veſtram omni malo liberam ſeruauere, quæ manifeſtam habere diuinitatem, teſtatam omni terra potestatem retinere, & patres noſtri proſpexere, & nos abundè cognouimus: Filij mei quotieſcumq. videbitis hoc marmor noſtrum, legite verba mea, & in memoriam reducite dicta Dabiri patris veſtri, qui nunc quoque pater veſter eſt. Valete.

Ego quinto poſteà die, quo Antiſtitem Baſſæ regionis adiueram,ab eo diſcedens, & per torrentem auſtrum vela mouens, innumerabiles gentium nigrarum multitudines per vicos, per pagos, per rara oppida è ſtipulis, è materia erecta vidi, plagam Phebæo calore laborantem ſpectaui,



ctaui, & omnia per orbem vana eſſe noui, cum incredibiles populorum nigrorum myriades,breui ſpacio ſuccumbant,& claræ,& magnæ per Europam,& Aſiam vrbes breui ſæculo intereant, & tandem quinto decimo deinde die,quo ab Atlante diſceſſeram, cum è latiſſimo ſinu, vbi plurimæ ſyrtes, plurimi ſcopuli, mala multa vada erant,nos ſubtraxiſſemus. Gorgonas Inſulas detexi, vbi fœminæ truci, & fera quadam effigie agebant, nunc incultæ omninò ſunt, prima ignotis, & altis arboribus plena eſt,cum optimis aquis; ſecunda innumeris auibus; quæ nullam habent ſimilitudinem noſtrarum auium. Tertia ſterilis eſt. Inde duorum dierum nauigatione à lõgo pelagi tractu promontorium, Sperinoceras,(quod lingua hodiè Luſitana Caput album nũcupatur,) aſpexi per loca ſola,& arenis plena deſcendi,ac ibi per aliquot dies, vnà cum Ribera meo in littore pererraui vbi nautę multos piſces,qui varia à noſtris figura erant,cępere,ibi etiam intellexi per vicina patriæ loca multos populos Deos adorare, multos patrum manes colere, & cadauera multo auro occluſa per loca ſacra tenere, & multos conſilio Sacerdotum,qui è Perſide, & Aegypto veniũt, dogma ſequi Mahumeteũ, & Mahumetum hominem nefarium ad

Gorgone Inſulæ incultæ.

Inſula Sperinocera caput album.

Populi multi patrum manes colunt.

Multi mahumetum adorant.

viti-

vltimum Æthiopiæ limitem poſt tot ſæcula, quibus eſſe deſijt, pertranſiſſe. Tunc ego pro ſacerdote earum gentium, quæ manes patrum colebant, miſi, quo veniente cum peterem, qua ratione id facerent, vt cadauera omni ſpiritu, omni ſenſu carentia adorarent, reſpondit, populum ſuũ eos homines colere, qui probatiſſima antea vita fuere, & quorum miracula toti genti teſtatiſſima extitere, & cum iterum peterem, an aliqua haberent monumenta per ea patriæ templa, & ipſe è veſtigio ſubderet ſe vnum habere, & velle ob eam rem redire, & ego læto multum animo officium reciperem, ille diſceſſit, & ſecundo poſteà die cum hoc monumento redijt.

IANAB MAGNVS MASSIANÆ TERRAE ANTISTES.

*Edictum Ianali.*

O fidi populi mei, ò bonæ vbique gentes, quæ me elegiſtis paſtorem animarum veſtrarum incapacem ad tale onus, quę me voluiſtis patrem, qui vobis altum omni tempore Olympum retegerem, & præclaro ego doctore, & magno quoque magiſtro egebam, ad tantum





munus eo modo peragendum, quo neceſſarium eſt. Audite quæ ſentio, cum nec Deum videre, nec alloqui, nec audire vobis datum ſit, & nos tñ Deũ eſſe apertè noſcamus, qui radiantia omnia per cælum lumina regit, qui certo omnia curſu temperat, qui globum terræ vndequaque pendulum in medio aere tenet, qui magnum mare, ne à terra effluat, facit, qui pluuiam gentibus oportunam præbet, & ipſas latè terras ſole, & vento recreat, cum tantum adorare numen, cum ad tantam aſcendere diuinitatem precibus nos omnino indignos exiſtimem; ò Populi, ò Filij mei cenſeo nos Patrum debere noſtrorum manes adorare, eorum dico Patrum, qui pij, boni, & ęqui fuere, & eos in maximo palam cultu debere habe-

*Qua ratione populi Maſſiani noſcũt Deũ.*

*Cur debent patrum manes adorare.*

re, qui mole corporea exuti, iam puri, iam ſancti ipſum noſcunt, ipſum vident, ipſum iam Deum alloquuntur, & omnem meritò amplitudinem rerum Cæleſtium penetrant, vt beatiſſimis eorum precibus Deum eo modo flectant, vt ad vitam ſanctè, & rectè producendam nos inducere queant, & ad ſedem in Cæleſti Regno comparandam nos omnino iuuent; ò Filij mei qui cum grandi me ſtudio ſequuti ſemper eſtis, in quos cum incredibili ſemper amore in immenſum fui; ò poſteri, in quos cum admirabili affectu viuo, hoc aſſiduè facite, gratiores enim illorum preces, quam noſtrę erunt eo quod illi omni labe exuti corpore putrido per humum remanente, anima per pura aera volante, iam omni parte

Pia dicta ſed cum errore.





ſancti ſunt; ò Filij mei, credite mihi rectè conſulenti, credite mihi toto animo colenti animas veſtras. Valete filij mei, & me etiam mortuum amate.

Antiquiſſimum Ianab Pontificis monumentum eſt; Sed quoniam ille Sacerdos, qui illud detulit, ea minimè doctrina, ea minimè rerum notitia agebat, qua ipſi Præſules agunt, non potui ea, quæ optabam ab eo ſcire. Poſteà eodem Oceano ad vnum, & dimidium diem pererrato, cum nouo ſpectaculo inauditorum populorum Heſperides Inſulas conſpicatus, cũ peterẽ, qui mortales eas incolerẽt? reſpondere Æthiopes, eas adeo noxias eſſe iis, qui ad eas nauigant, quod vna illic nocte acquieſcere manifeſto exitio eis eſt, & propterea mercatores conſueuiſſe mercimonia, luce accipere, & nocte poſteà appropinquante, ad naues redire. Deinde cũ ad ſiniſtrum latus verteremur, & latiſſimum ſinum ingrederemur, vbi per incurua maria, prærupti ſcopuli, vbi multi è duro marmore murices erant, cum vicinæ iam terræ appropinquarem, & per ampliſſimam me vallem verterem, vidi aliam Cœli, & Terræ effigiem; vidi aliam

Heſperides Inſulæ.

Noxium Cœlum.

Nouæ terræ effigies.

noui mundi formam; vidi axem terræ nihil cõmune habentem cum axe Europæ, & Aſiæ: Erat alia vbique facies, quam noſtri mundi.

Serpentes alati.

Serpentes enim alati, qui ad longum ſoli ſpatium iacebant Æthiopico incantamento eo minimè loco ſe mouebant, quo imperatum erat, nec gregibus caprarum propinquis hærere audebant:

Maximæ Viperæ.

Vidi magna viperarum,& reptilium genera,quæ vnam hauriũt capram aperto ore, nec mãdunt, & cogente barbaro carmine nullam audent alicui vim inferre. Hæc ego non crederem, niſi præſens aſpexiſſem, & cum in littore deſcenderem, & à Sacerdote vicini oppidi peterem, quo carminum genere ea monſtra reprimerent,reſpondit ille; in longa nimium antiquitate, in æuo nimium obtuſo cum ſerpentes adeò coaleſcerent, vt nulla hominum bella contra eos mage ſufficerent, veniſſe Gnogorem,

Gnogor Præſul.

magnum Præſulem, magnum Æthereæ plagæ amicum à terra Æthiopiæ, quæ infra eſt,quæ vna cum hac patria ei ſuberat, qui diu totum late populum ſolatus eſt, diu immania monſtra coniurauit, ne vllum genti ſuæ malum facerent, ne vllum gregibus,& armentis damnum ferrent, & cum nihil proficeret,toto corpore per terram ſtrato cum reſona per montes voce, cum grandi per loca ſola gemitu, cum

Magna ſanctitas Gnogoris.

gra-



graui per populos, & valles ſingultu opem ab alto cœlo orare cæpit. Quo ſęculo patres noſtri inopinato conſpexere radiantem ab aula ſupremi cæli lucem ad imas vſque partes terræ deſcendere,inauditum in toto aere ſplendorem erumpere, & præaltam è media luce vocem à Deo ſalutari ſe effundere:

Magnum miraculum.

Nam ipſe verbo Æthiopico Maid Breneſin, id eſt ſalutis Deum ſe appellauit, quæ ipſum Gnogorem planè edocuit, quo oportebat carmine tantum à populo ſuo malum,tantam à tota regione peſtem expellere. quare populi eo ſeculo grati, ducenteſimo ab hinc milliario, nobile templum,& baſim è nigro marmore, cum ſancta Patris noſtri effigie erexere,quæ adhuc extat,perpetuoque extabit. Sunt etiam Æthiopicæ litteræ ibi ſculptæ, quæ rem omnem,vti fuerat,referunt.

Maid Breneſin.

Nam tota Æthiopia in littore Oceani ignobilis eſt,in interiori verò parte magnas vrbes, clara oppida, præalta, & inclyta quoque templa habet, & cum ego verba in baſi ſculpta peterem, & ille totum exemplum monumenti domi tenere ſe reſponderet, & inde ſe ſubtrahendo, è veſtigio rediret, ego illud in linguam noſtram erui, quod hoc eſt.

Aethiopia in littore Oceani ignobilis eſt in interiori clara.

# GNOGORI TERRAE IOGO-MAN. PONT.

Nos Populi quondam tui, tibi morte erepto, tibi in cælum delato, hoc monumentũ ereximus, eò, quod cũ aſſidua cũ crudis ſerpentibus prælia, eò quod cũ maxima cũ deterrimis monſtris bella haberemus, nec amplius tutari nos poſſemus, tuis precibus diuinum ſupremæ patriæ numen è cælo deſcendit. Vidimus enim magnum lumen; vidimus radios toto cælo pernitentes; vidimus terras noſtras innumerabili ſplendore refulgentes; effigiem verò Dei non vidimus, quæ ait. O Gnogore nobis amice à prima pueritiæ ætate, te orantem audiuimus, & tuis precibus flexi ad te venimus, & tibi poſteriſque Antiſtitibus, & Sacerdotibus ritè in-

*Monumentum Gnogori erectum à populo grato.*

*Videte populi Deum ſalutarem.*

*Verba Dei.*





ſtitutis dico, & iubeo, vt cum fera per terras veſtras peſtis venerit, cum truculenta ſerpentum rabies obrepſerit, vos ſubitò per latos campos exite, per altos patriæ montes aſcendite, & quanta datur voce proclamate. O ſerpentes, exitialia gentis humanæ mala; ò monſtra generi mortali inimica. Deus ſalutaris, (ita me nuncupari volo, nam pro publica terræ veſtrę ſalute veni) vobis dicit, edicit, & imperio vbique diuino mandat, audito patriæ Antiſtite iure electo, vel Sacerdote benè ordinato omne deponere venenum, omnem dimittere ferociam, è veſtigio vos ſiſtere, nullum animalibus, nullum hominibus incommodum amplius præbere. Et quoniam tu (ò ſancte Pater) Gnogore cum manifeſto Dei Breneſi-

*Pulchrũ Dei mandatum.*

ni, ideſt ſalutaris, numine, cum teſtato Dei veri miraculo patriam tuam, populum tibi ſubditum, & filios cum publico conſenſu Dei, tibi attributos liberaſti, nos tibi iam Deo prænobile quoque templũ ædificauimus, quod certè perpetuum nulla temporum ætate eſſe deſinet; in quo aſſidua tibi nouo Deo ſacra peragemus, & poſteri quoque noſtri, quoad ipſa ſæcula generi humano currrent, hunc perpetum morem ſeruabunt, & in fine ſacrorum, nomen Gnogori Pontifi cis noſtri altiori, qua poterunt, voce proclamando, gratitudinem populi ab alto cælo nouam continuo videbis. Vale magne Pater noſter Gnogore.





# ALEXANDRI GERALDINI EPISCOPI.

## LIBER QVARTVS.

MEMINI me in principio libri ſecundi mei (Pater Beatiſſime) ſatis enarraſſe de potentia ſyderum, quæ magnam adeò poteſtatem ſupra corpora humana, ipſo æterno, & immortali Deo permittente, habent, vt omnia in toto orbe diuerſa maneant. Quædam enim nationes iudicio à natura alto agunt; quædam nullo plane ingenio viuunt; quædam eo animi ſplendore, vt mirum omnino ſit; quædam corde adeò ſtolido, vt nihil eò modo inſipidum reperiri queat, veluti hęc natio Annaam, quæ trium dierum nauigatione à terra Igomaan diſtat, in qua populum totum planè amentem vidi, vt credam nullum in toto orbe eo modo eſſe;

Magna poteſtas ſiderũ Deo permittente.

Natio Annaam ſtolida.

qui magnis cruribus, protento ſtomacho, & toto corpore vbique pingui, agat; & cũ Æthiopes ingenio acuto, & iudicio planè erecto generati viuant, hę gentes tam mares, quam fœminæ ingenio obtuſo, corpore intento ſunt. Solem aſſiduè execrantur, intolerabilem æſtum toti patriæ ferentem. Lunam colunt, ſalubrem humorem qualibet nocte dantem. In littore magnum templum Lunæ Deæ dicatum tenent, è ſtipulis, è luto, è virgis, è grandi materia. In ingreſſu templi à parte dextera pulchra è candidiſſimo ebore tabula eſt prægrandi robore ex vtraque parte eam ſuſtentante, cum hiſce characteribus.

Aethiopes ingenio acuto.

Hi populi ſolem execrantur.

Colunt Lunam.

## EX EDICTO MAGNI PONTIFICIS IGOMAI SARE.

O Sacerdotes, ò Populi Lunam Patriæ Deam orate, vt tantum à regione noſtra ardorem tollat. Hæc enim Dea terræ veſtræ patrona eſt. O caſti pueri, ò puellæ omni Venere intactæ Solem non audientem coniurate, vt à truci nimium calore populum meum reprimat, ſi patres

Exhortatio Præſulis, vt Lunã colãt Deam.

Si patres peccauere non

tres



tres peccauere, quid poſteri merentur? Iniqua enim lege Dij agerent, ſi iniqua patrum ſcelera poſteri luerent.

debet pœnas luere alij.

Eſt hæc latiſſima vallis in parte concaua, in qua nullus aditus alicui vento patet, & niſi quod hyeme per mediam vallem flumen labitur, difficile eſſet aliquem ibi incolam poſſe ſubſiſtere: Adhęrent ij populi cuidam Principi, qui multa per Septemtrionem Regna tenet, ipſe tamen ſatuitate eorum mortalium ad eam numquam terram accedit, ſed *Præſidem* in ea regione tenet, lingua patria Rebaan vocatum, quem ego alloqui non curaui, nec vllum cum ea gente cõmercium habere volui, & tandem indè ad nauigans itinere vnius diei cum dimidio ad lata, & effuſa alterius terræ plana perueni, vbi cum magiſtratus per interpretem acciperent, me in propinquo portu eſſe, fide publica genti meæ data, libenti animo iuſſere, me in continentem eorum deſcendere, & tunc homines toto corpore exuſti, cum coniugibus liberis, & tota familia, vnà cum magiſtratibus, & primarijs patriæ gentibus, ad me veluti numen intuendum concurrebant. Erant illæ gentes ex aliqua parte

Præſes lingua Aethiopica Rebaan dicitur.

Homines exuſti.

libe-

liberæ, & quædam magno cuidam Regi longè poſito per interiora Aethiopiæ tributa pendebant, quæ admirabantur hominem album veſte purpurea, & cãdido multicio indutum ad eorum regiones perueniſſe; & cum audirent me hominem Deo ſacrum, latiſſimum ſub poteſtate mea populum tenere, multa, & magna ſub ditione quoque mea regna manere, certatim antè pedes meos procumbebant, & quod manifeſtum magnæ humilitatis ſignum erat, puluerem per capita iaciendo, & ſe per humum extendendo, pollices aſſiduè oſculabantur quem ritum venerationis illi terræ antiquum cũ Dijs immortalibus, & cum ſolis ſolent principibus exercere, & tandem, plebe ſedata, & primario hoſpitio mihi attributo, & reliquis per ſingulas domos eorum exceptis. Sunt enim Aethiopes è veteri inſtituto, adeò hoſpitales, qui ad triduum, aut quatriduum ſine vlla re, ſine vlla pecuniæ ſolutione hoſpites domi tenent, multa caprarum, & paruarum boum, munera, multos oryzæ cados, plures vini amphoras ex earum palmarum arboribus, quæ Caryotas non ferunt, mihi attulere. Et tandem depoſitis menſis cum aliquantulum quieuiſſem, & poſteà in magna nobilium corona, eſſem; Nam nobiles in magno precio apud Æthiopes ſunt, pu-

Honores qui exhibentur Principibus.

Aethiopes hoſpitales omni parte ſunt.

Nobiles in magno precio apud Aethiopes.

bli-



blica omnia patriæ munera obeunt, nec vllam, niſi nobiles adminiſtrationem patriæ habent, cum plura de toto orbe verba haberemus, ibi retulere trecenteſimo, & quadrageſimo tertio indè lapide pregrandem vrbem eſſe, in qua ſublime Regum ſolium, prima Pontificum eorum ſedes cũ vetuſtiſſimo templo manet, antè cuius plateam Turris è marmore nigro ex ingentibus ſaxis condita eſt, cum effigie antiquiſſimi patris Chialaoi Linoſtina vitta frõtem cincti, & cum hiſce patrię elementis.

EGO CHIALAOVS PATRIÆ GALANGEAE ANTISTES.

Nolo aliquem ſacram Dei Aedem ingredi, niſi omne cum toto populo odium depoſuerit; niſi magno cũ tota gente amore egerit, niſi omnis illum anteà criminis pęnituerit, niſi viua ſe aqua prius diluerit. Mando etiam eum, qui ad ſancta Dei altaria accedet, ieiunum accedere, caſtum, & impollutum ad ſacra offerenda venire; quin etiam

Edicta Chialaois Preſulis.

pie

publicum in toto templo ſilentium tenere, cum Sacerdotes alta vbique voce laudes Deo cantant, niſi forte populus ad preces Deo effundendas ſe, vnà cum Sacerdotibus occuparit. Concedimus tamen in die ſanctis coniugijs dicato, & per priuatas domos, & per publica patriæ templa, magnas epulas, & læta publica conuiuia, & tripudia, & choreas cum teſtato gaudio exerceri: Ille enim dies pro nouo populo terræ humanæ comparando, pro noua gente, quæ aſſiduas laudes, aſſidua immortali Deo preconia è toto corde emittat, conſtitutus eſt, quibus ad ſummum Regnum cœli, ad ſummam ſydereæ aulæ patriam, iter populi ſibi aperiant.

Poſtea in capite Catin appellato, quod centeſimo à Galangea terra lapide diſtat, à primoribus eius terræ hominibus audi-





ui, itinere ſex dierum orientem verſus Odenum oppidũ magnopere nobile eſſe, ad quod Arabes cum Camelis, Elephantis, & vario mercimoniorum genere aducti magnas opes è multis Æthiopiæ regionibus ſibi conquirunt, & tunc ego ingemui gentem humanam ea cupiditate agere, vt nullo cœli excandeſcentis æſtu, nullo ferarum morſu, nullo hominum periculo moueri queat, quin ob famem multi auri explẽdam, immanes populos, ignota per orbem regna adeat. Deindè non multò poſt cum vela vlterius tenderemus, audito nomine Alblooris filij Sibooris Regis, qui claro olim nomine egerat, & latam in eo littore ditionem tenebat, & Melli vrbe relicta, quæ in interiori regni parte eſt, ad maritima loca venerat, eò delati, & nuncijs hinc indè miſſis, cum magno deſiderio Epiſcopi Chriſtiani alloquendi moueretur. Ego homo fidei orthodoxæ, cum ingenti honore à Principe Mahumetum colente exceptus ſum, & aſſiduus cum eo cõuiua in lautiſſimis Epulis, in aurato ſimul toro ad octo dies fui, qua ætate cum me ad templum Mahumeti adducere vellet, & hoc, vt magnum mihi honorem daret, immortales ei gratias egi, & planè dixi, me lege patrum meorum antiqua prohiberi, nec vllum poſſe templum,

Odenũ opidum.
Arabes exercent mercaturam in Aethiopia.

Alboor Rex.
Melli vrbs.

Alexander Epiſcopus cũ ingenti honore exceptus.

niſi Chriſti mei adire; Qua voce homo Æthiops, qui pio,& nobili vndique animo agebat, omninò reticuit; Poſtea reuerſus cum legem Mahumeti ſummopere laudaret, quem magnum veri Dei legatum,omnes in toto orbe mortales olim norant; nec ego Chriſtum meum relinquerem, & maxima miracula in omni axe emiſſa, enumerarem,ille fide Chriſti laudata;nam & vetus, & nouum teſtamentum à multis Indiæ, & Æthiopiæ ſub Ægypto Sacerdotibus audierat, in lege maiorum hæreditaria vnicuique perſiſtendum eſſe dixit, & in eo colloquio mihi renunciauit maiores ſuos antiquiſſimis olim ſæculis ante Niniuem conditam, & antequam nomen Chaldæum in ore hominum eſſet, multa Phæcaſiorum numina coluiſſe, à Sacerdotibus Niloticis in Æthiopiam allata,quæ poſtea, vti vana,à Præſulibus Æthiopiæ, reiecta ſunt,vt in libris patriæ noſtræ ſacris, manifeſtè patet.

Numina Phœcaſiorũ.

Erat hic Rex rubicundo, & ſanguineo potius colore, quam nigro, nobili animo agebat, ſubligaculo, & veſte ad genua vſque goſſipina vtebatur aurata, vnionibus, Sapphiris, & Adamantibus diſtincta.

Effigies, & habitus Alboeria Regis.

Vxores regis, quæ vltrà centum erat, velamento etiam goſſipino ſe tegebant, cæteri è vulgo perizomate è corio pudibunda operiebant, reliquo corpore

nu-



nudi erant. Verum quod ego non parum admiror, eſt, quod Serpentem ore præferocem,corpore prægrandem,cum magnis alis, cum cęnaret ante ſe habebat, qui natura adeò miti erat, quod nullum in Italia,& Hiſpania animal adeò mite eſt.

Serpentes ſine veneno.

Mulieres quoque Regis Serpentes in delicijs habebant; Nam in multiplici Serpentum varietate, quos Æthiopia gignit, quidam ſine vllo veneno ſunt, veluti ij erant.

Serpentes in delicijs habent.

Multa inter cœnandum colloquia de Vrbe Roma,de Pontifice Maximo, de antiquis Regibus,de Conſulibus, qui magnum in omni gente nomen reliquere, de Dictatoribus,de bellis Ciuilibus, de S. P. Q. R. de maximis Romanorum Imperatoribus,veluti de C.Cæſare, de felici Auguſti ſæculo, de celebri Veſpaſiani Titi Traiani, & reliquorum Principum memoria, de antiquis in vrbe ædificijs, de maximis Deorum templis, de magiſtratibus, de locis Chriſtianorum ſacris, de Italia, & de tota Europa, & Aſia mouebantur, quæ cum ſumma ab omnibus voluptate audiebantur; adeò quod omnes affirmabant res eorum humiles, nihil commune cum noſtris habere, & in eo loco cum omnia finitimarũ nationum arcana cuperem cognoſcere, idem Rex mihi enarrauit, quoſdam populos longè à patria ſua remotos, multo au-

E ro

Populi quædam, à nulla volunt gente extera videri.

ro diuites ad flumen in limine patriæ ſuæ poſitum, quoquo anno venire per longas ſolitudines, per ignota diu loca, & magna onera ſalis ſecum ferre, è vario monte cauati, & cum ex inſtitutione patrum antiqua, à nulla gente extera cupiant videri, vnumquemque corũ ſeparatos ſalis aceruos, in ripa relinquere, & è veſtigio itinenere vnius diei retrocedere. Quo tempore populi ſui eo contendunt, & examinata bene conſcientia, tantum auri in vnoquoque aceruo ponunt, quantum debere poni videtur, nec ob eam rem ſalem auferunt, & tunc ij, qui videri nolunt, redeuntes, qui tantum auri, quantum placuerit relictum in aceruo vident, auro ſublato, & ſale relicto, in patriam remeant, qui verò tantum auri, quantum optauere, non cernunt, iterum indè diſcedunt, & tertio deindè die, ſi quid auri videtur relictum ſpectant, ſalem relinquunt, alioquin, auro dimiſſo, in natale è veſtigio ſolum ſe retrahunt; qua re audita, cum laudata fide vtriuſque populi à Rege peterem, quare à nulla vellent gente extera cognoſci. Reſpondit Rex, ſe cauſam ignorare, tamen credere, eos vel vſu loquendi carere, vel aliqua religione prohiberi, veluti ſi publico aliarum nationum conſpectu, quæ in eadem lege non eſſet, inficerentur, & ob

eam



eam rem quinquageſimo antea anno auum ſuum quatuor eorum hominum, cum inſidijs cepiſſe, vnum retinuiſſe, qui cum vario multarum regionum idiomate interrogaretur, nullum reſponſum emiſit, nullum ſignum dare de ijs rebus, de quibus petebatur voluit, nec cibum capere, nec quicquam ore efferre, & tertio demum die cum truci vultu, & manifeſto in Regem odio animam efflauit, ob quam rem populi ſui multa damna, & grauia quoque incommoda ſubiere, eo quod cum ſale careant, omni illorum comercio excluſi ad triennium ſunt. Quo tempore legati Regis Edomai, qui multa in interiori Æthiopia regna habebat, ad Alboacem Regem venere, qui cum longa mecum colloquia ſæpe haberent, & ego de ſtatu Regis, de conditione patriæ, & Dijs eorum interrogarem, reſpondere Regem ſuum latum in regione Baſſaana Imperiũ tenere, ducenta hominum millia in aciem educere, teſtata, inter finitimos, potentia agere, in grandi populorum amore viuere, prætereà inter multas, & Illuſtres vrbes, & multa, & clara quoque oppida octingenteſimo, & vigeſimo quinto inde milliario Baſſianam vrbẽ magno populo inſignem habere, in qua Regiæ Aedes, nobile Pontificis Palatium, cum primo Re-

Edomaus Rex.

Baſſiana vrbs.

E 2 gno-

gnorum templo manet, & quod miran-
dum magnopere eſt, hic ſolus cum toto
patriæ populo per vicinas regiones Deum
naturæ adorat, qui in præalto è marmo-
re ſolio ſedet, cum effigie, & corpore
minio illito ad ſimilitudinem Ætheris,
& dextra ſolem, & ſiniſtra lunam tenet,
eo quod omnem hiſce duobus luminibus
poteſtatem rerum in omni terra generan-
darum tribuit; cætera ſidera per vtraque
latera retenta habet, & ea religione ip-
ſum Regem agere, qui quoquo concedit
nobile Dei ſui ſimulacrum mira arte con-
fectum ex ebore miniato dorſo Elephanti
ſecum ducit, quinquies nocte, ac die antè
effigiem Dei ſui toto corpore per terram
ſtrato procumbit, & magnas preces, è
profundo pectore illi effundit. Multa præ-
tereà, & cum exteris gentibus maiores
ſui bella geſſere, & hunc Deum antè ſi-
gna regia armatum cum grandi ſtrepitu
maxima hoſtium agmina effundere vide-
re, & cum peterem, quo apud Regem
honore Pontifex eorum ageret, dixere,
in rebus ſacris Pontificem à dextera parte
manere, admirabilem ei reuerentiam
Regem exhibere, incredibilem omni loco
obſeruantiam præbere, & nullam in Præ-
ſule patriæ auctoritatem, nullam in ho-
minibus ſacris poteſtatem tenere, & ve-

luti

Hic Rex Deum naturæ adorat. Effigies dei naturæ.

Religio Regis Agerei.

Miracula Dei Naturæ.

Magnus honor Pontificibus exhibitus.



luti ipſe Antiſtes in Rep. patriæ admini-
ſtranda, & in æquitate populo reddenda
ſe non immiſcet, ita Regem in re Ponti-
ficum, & Sacerdotum gubernanda, nullo
modo ſe interponere. Renunciauere quo-
que Principem eorum, & omnes Reges in-
terioris Æthiopiæ minio ad ſimilitudinē
Ætheris toto vultu illiniri, & eos ſolos
magnam cum Cœlo Æthereo affinitatem
habere; & cum quærerem, an aliqua ve-
terum ſęculorum monumenta per loca
ſacra, vel profana tenerent, dixere, mul-
ta, & vnum inter cætera eſſe in templo Ci-
uitatis Baſſianæ magni Patris Oniob Si-
rien, adeò vetuſtum, vt antequam hæc
elementa litterarum Æthiopicarum, quæ
modo ſcribunt, eſſent, ſculptum ſit, eo vi-
delicet ſæculo, quo Æthiopes vnum ele-
mentum pro vno multarum litterarū no-
mine habebant, vt in altera baſidis parte
magni marmoris è nigro relucentis, om-
ni parte videri poteſt, in quo imago ma-
ieſtate plena antiqui Oniob Sirien ſe re-
tegit, quod monumentum poſteriores in
eodem planè marmore, à poſteriori par-
te Aethiopicis elementis, quibus modo
vtimur traduxere, quæ quandam Chaldęa-
rum litterarum ſimilitudinem habent, &
tunc ego legato Regio verba Aethiopica
declarante, hoc modo tranſtuli.

Reges Aethiopiæ Minio illiniuntur.

E 3 ONIOB

## ONIOB SIRIEN AGAREÆ GENTIS PONTIFEX.

O Populi mei, ò Filij, ò Mortales ſub tutela, ſub doctrina mea poſiti, huc intrate, ſed puri (eſt enim hoc templum Deo ſacrum) ò fidæ gentes, huc venite tamen omnino mundæ, omni ſcilicet malo à mente amoto, omni crimine à corpore ſublato. Videte imaginem Dei noſtri formatam mira arte magiſtrorum, magno labore effectam, reſpicite quanto illuſtriori in cœlo effigie agere debeat, vbi opera hominum inania ſunt (filij mei) ſpectate, quem ſolem manu dextra gerit, ſiniſtra lunam. Hæc duo altiſſimi cœli lumina, hac poteſtate agunt, vt ſolo aſpectu, ipſi vbique homines, ipſa animalia, ipſi piſces, ipſa per mare, & terras

E ſolis, & lunæ aſpectu omnia procreãtur.





monſtra generentur. Reſpicite magnum miraculum, quod ipſæ per orbem arbores, ipſi fructus, ipſæ herbæ, ipſa gramina, ipſæ fruges, ipſæ plantę, & reliqua olera, flores, arbuſta, & fructus, è Phæbæo certè calore, è lunari humore procreantur, ò Populi mei conſiderate, qua ille potentia viuat, qui eam ſuperioribus luminaribus vnus Deus potentiam præbeat; ò peramatæ gentes meæ, ne credatis, niſi vnum Deum eſſe, ſi enim vnum humanæ terræ regnum ſub multis Regibus ageret, qui æqua illud auctoritate regerent, non bene illud adminiſtraretur, nec vnus principatus, ſub multis poſſit principibus diu ſuſtentari, ita latiſſima illa ſupremi cœli ſpatia, ita pendulæ in aere terræ, ita magnum ma-

Vnum Deũ credant.

Regnum terræ, & ipſe Mundus ſub vno debent Principe gubernari.

re Oceanũ ſub vno oportet recto-re, ſub vno, neceſſe eſt, gubernato-re regi. O populi à me dilecti, to-to animo, ſed cur dilecti, ò à me culti interiori toto corde multum debetis illis Pontificibus, illis patriæ veſtræ patribus, qui tantum habue-re lumen, vt vnum Regem cœli noſcerent. O pij filij mei intrate aſſiduè per loca Deo noſtro ſacra, adorate Deum vnà cum cœlo, & terra ortum, qui nullum habet principium, nullum habiturus fi-nem eſt. O verè Filij, currite quo-tidie ad ſummã Dei veſtri pietatem. ad inauditam principis Aetherei miſericordiam, & ipſe coniuges, liberos, nepotes, & totam latè po-ſteritatem ad longiſſima tempora ſeruabit, bona terræ nutrimenta ſubminiſtrabit, aerem cœli purum

Bona moni-ta.





dabit, ipſum viuere lætitia plenum concedet, & quandò hæc legetis, mementote Oniob Sirien, bonum quondam Pont. animarum veſtra-rum bonum olim patrem veſtrum fuiſſe, & modò quoque ſupra ipſa ſydera cœli, eſſe.

Cumque eundem legatum orarem, vt poſtquam de nobili patriæ ſuæ Rege, de Baſſiana vrbe, & Agarea terra mihi enar-rarat, quæ mihi magnopere ſatisfecerant; nunc aliquid mihi referret de vicinis Aga-reæ regionis gentibus, & nationibus, ſi aliquid memoria dignum haberent, qui mihi reſpondit finitimos populos eo, quo Agarei modo viuere, niſi quod varia adorant numina, diuerſa colunt ſimula-cra, quæ patres eorum in honore ſemper habuere; tamen in remotiſſima per orien-tem parte, Damnacam eſſe regionem, vi-ſu oblectabilem, vbi plana, colles, riui, & magna flumina, in qua Coninſea primaria vrbs eſt, varijs opibus, varijs fructibus, & multò auro clara, & in qua Dij familiariſ-ſimè cum hominibus verſantur, adeò quod nulla in ea vrbe conuiuia, nulla tri-pudia, nullæ choreæ ſine Dijs exercentur

Coninſea vrbs.

Dij cum ho-minibus fa-miliariſſimè verſan-tur.

Publicæ nullæ epulæ, quin Deos habeant vna cum ciuibus diſcumbentes, læta nulla dies tranſit, quin magna Deorum multitudo hominibus admiſta ſit, & quod malum non mediocre eſt, puellas forma illuſtres violant, & alia cum maribus ſcelera patrant, quæ minimè numeranda ſunt, adeò quod in ea vrbe innumeri lætantur cœleſte ſibi genus eſſe, & altam ducere originem à Dijs immortalibus, pro re gloria, & decore plena habent; & tandem cum exempla libidinum à numinibus capiant, omnia eo modo corrupta in ea gente manent, vt nullum religionis, & ſanctimoniæ veſtigiũ in eo axe appareat. Verum, vt legatus aſſerebat, veniente alicui eorum morte, magna adeò Deorum gaudia per aerem reteguntur magni adeò plauſus eorum, quos anteá adorabant, & męſtæ quoque adeò voces, lachrymæ, & eiulatus ſe pandunt, quod finitimi quique, & remoti longè populi, qui claro ingenio agunt, qui aliquo virtutis amore mouentur, quibus aliqua Ætheręæ patriæ cura ſubeſt, credunt inferna ea numina eſſe, quæ regionem Damnaeam, cum toto populo deludunt, & mortales eius terræ per ima tandem Tartara retrudunt, illi tamen mente cœca agunt, & inductu Deorum, de præſenti tantum voluptate, con-

*Non Dijſũt ſed numina inferna.*

ſilium



ſilium tenent, de æterno, & immortali patriæ diuinæ bono, nihil penſi habent. Ipſi Pontifices, à quibus magna ſanctimoniç exempla emitti debęant, inter exoletos, inter improba ſcorta ſemper degunt. Ipſi Reges inter pellices, inter concubinas, inter innumeros menſæ, & aulæ miniſtros, omni principum amplitudine, omni Regum decore amiſſo continuò ſe inquinant, & tandem nihil boni, nihil ſancti, nihil æqui, nihil integri, in toto planè eo cardine ſe aperit, adeò quod vehementer miror, ipſum Deum, ipſum ſyderæ patriæ regem, talia ſcelera poſſe tolerare, ego ipſi legato aliqua dona dedi, veſtem ſcilicet ſericam, pellem lupi marini, & multa Coralliorum ſerta, quæ ei magnoperè grata fuere, eò quod frequentia per Aethiopiam fulmina cadunt, quæ cum grandi hominum, animalium, & domuum ſtrage veniunt. Et tandem quarto decimo poſteá die, quo Alboacem Regem adiueram ab eo diſceſſi, multis numeribus donatus, & magna cum eo amicitia contracta, licet nulla cum homine Dei mei hoſte amicitia eſſe mihi queat.

*Nefarij Regum mores.*

*Dona Alexandri Epiſcopi.*

*Non poſſum amicũ hoſtẽ Dei mei eſſe.*

ALE-

# ALEXANDRI GERALDINI EPISCOPI.

## LIBER QVINTVS.

Budomela Regio.

EGo magno ſtudio cupiens ad vltiora Æthiopiæ littora nauigare, quò patres olim noſtri nunquam adnauigauere, quartò deindè die, quo ab Alboace Rege diſceſſi, ad regionem Budomelam felici vbique vento, delatus ſum. Eſt hęc regio vbertate plena, & vario fructuum genere referta, qui per inculta patriæ loca huc, & illuc naſcuntur. Vbi

Noboor Rex longè aberat.

Præfecti Regis Nobooris, cum eo honore, quo ſuperiores, me excepere. Nam Rex longè aberat, & cum interpres vbique euulgaret, me rei diuinæ antepoſitum, in-

Putabāt populi caput raſum eſſe ſignum lunæ.

numerabiles populos, & maximas quoque regiones ſub me habere, vndique populi accurrebant, me veluti cœleſtem homi-



minem obſeruabant, me vndique ambibant, & cum caput abraſum cernerent, planè aſſerebant ſignum Lunæ me deferre, aliquod cum eo numine cōmercium debere tenere, & hominem diuinum eſſe; multicium verò habitum eſſe cœleſtem, cum cādore ipſi Deo attributo, licet ipſi Deos corū, vel nigros, vel rubeos effingāt. Purpureā veſtē aliquam habere figuram patrię Æthereæ, & diuini in cęlo ignis, & vt hęc colloquia hominum inſipientium relinquam, cum ea tempeſtate quędam expeditiones ab eo Rege caperentur; Æthiopes noui, ob nimium ęſtum patriæ ſuæ, equis carere; peditatu, camelis, elephantis abundare, ſagittis, iaculis, prælongis lanceis, clypeo, & ſcuto valere, & cum peterem an alia arma haberent, reſpondere præfecti Regis, nimium Æthiopiæ calorem non tolerare milites eorum alijs armis vti, ſe tamen affirmare eas ſagittas maiora longè mala afferre, quam vlla Aſiæ tela, Scytharum ſcilicet, Parthorum, Perſarum, Aſſyriorum, & Medorum, quorum nomina apud nos clara ſunt, relatu Arabum, Indorum, & Æthiopum, qui ſub Ægypto ſunt, & cum rationem quærerem, dixere Reges, eorum diuino ſanctiſſimorum Præſulum documento, magica adeò incantatione valuiſſe, quę poſtea ad

Aethiop. effingūt Deos nigros, vel rubeos.

Aethiopes ob nimium ęſtum equis carent.

Mira de incantatione Regum Aethiopiæ.

ad ſucceſſores tranſijt, & eos ad præſens,
eo modo valere, quod, facto per imam ter-
ram circulo, cum leui virga, multi Serpen-
tes è veſtigio accurrunt, omni parte pro-
perant, & circulo oppleto, & ferociori ſer-
pente, per incantatorem, interempto, alijs
ſine vllo damno abire iuſſis, ſagittas eius
Serpẽtis veneno admiſtas, ſeminibus qua-
rumdam arborum patriæ noſtræ inficiunt,
ac eo modo nullum in toto orbe venenum
præſentem adeò necem ferre; & cum pete-
rem vndè ferrum, & chalybem haberent,
reſpondere, Æthiopiam latiſſimam eſſe,
& partem mundi minimè credendam, &
multas regiones Æthiopię chalybe, cupro,
& ferro abundare, & alijs populis, qui eo
metallo carent, ſubminiſtrare. Plures
etiam multo auro florere, & moneta au-
ri, & argenti ſignata vti, quibus ferrum,
cuprum, & chalybem emunt, & qui nihil
eorum rerum tenent, omnia mercimonia
eorum permutatione rerum exercere.
Quaſdam etiam regiones orichalchum au-
ro anteponere, & magnam cum eo merca-
turam facere, quo tempore, cum de inte-
rioribus populis aliquid ſcire cuperem,
quidam Sacerdotes de interiori longè re-
gione aduenere, quos cum de regia prin-
cipis eorum dignitate, de conditione, &
regimine vniuerſę terræ percunctarer, re-

Aethiopia latiſſima eſſe.

Omni Metallo abundat Aethiopia.

ſpon-



ſpondere, Regem eorum genus à Dijs im-
mortalibus ducere, multa, & magna, cum
illis colloquia tenere, ſana quotidiè conſi-
lia capere, & eos modò ſub effigie tauri,
modò arietis, modò bouis, modò piſcis,
modò ſub nitidiſſima mitiſſimi Serpentis
effigie apparere, humana ſemper verba
emittere; modò cum dulciſſimi hominis
rubei vultu, imaginem Deorum referre.
Regionem prætereà totam vbertate inſi-
gnem eſſe, & trecenteſimo, & ſeptuageſi-
mo tertio indè milliario illuſtre templum
manere, in quo multa Regum ſepulcra
ex auro puriſſimo ſunt, & imago vetuſtiſ-
ſimi Bagari Antiſtitis inter Deos relati,
octauo, & milleſimo ab hinc anno, cum lit-
teris terræ Baſſaaræ eſt, quæ hæc populis
mandant.

Huic Regi Dij apparēt.

Bagarus Antiſtes inter Deos relatus.

## BAGARVS BASSARÆ REGIONIS PRÆSVL.

Nemo huc armatus veniat. In
Æde enim, Dijs ſacra, preces fun-
dendæ ſunt, non arma tenenda; ſa-
gittæ, Iacula, & omnia demum tela
ſancto procul templo ſint. Dij enim
pacem amant. quicunque huc greſ

Bona, & pia edicta.

ſum

ſum feret, cernuus, humilis, vultu in terram conuerſo ingrediatur. Mox toto corpore per humum extenſo, tam ſimulacra, quã beata Deorum ora adoret, ac ipſi Dij, eum, cũ tota latè gente augebuntlò pij populi! ò pij filij! ò nimium dilecti Baſſaaræ terræ incolæ, omnis terrenæ patriæ beatitudo, omnis maximorum Regum celſitudo, miſeria eſt, omnis humani ſoli euentus ærumna. Nullus dies ſine aliquo motu animi, ſine aliquo mentis turbine, ſine aliquã certè ſolicitudine, ſine aliquo ſuorum deſiderio, ſine aliquo gemitu currit! O populi mortales mihi olim attributi, vertite lumina per Deos noſtros cum publico ſingultu, cum manifeſtis vndique lacrymis, orate vt iter vobis per alta ſupra ſydera, per ſancta cœli lumina

omnis terrenæ patriæ beatitudo miſeria eſt.





aperiat. Præſtat enim exiguum in alto cœlo locum habere, quam latum in toto orbe Imperium poſſidere, innumerabilia puerorum, adoleſcentum, iuuenum, & ſenum cadauera quotidiè efferuntur, quæ ſtatim vos ſubſequemini, & paulò poſt nulli horum temporum homines mage ſupererunt, ſed alia in toto orbe facies hominum manebit. O filij magis à me amati, quam ego me amem. O gentes meæ poſt Deos cœleſtes magis à me cultæ, quam arctiſſima vlla ſanguinis pignora, quam liberi à me editi, qui è corrupta carne ſunt, non è numinibus verè ſanctis, veluti vos eſtis. Ego Bagarus, ego Pater, ego Rector, ego Paſtor, ego animarum Antiſtes à cœlo electus, hæc iubeo, hæc mando, hæc publi-

Præſtat exiguum locũ in Cœlo habere quam latum in orbe Imperium.

Alia hominum facies vbique terrarum erit.

cè edico, quæ ſupra ſcripta ſunt: Cupio enim vos per excelſa Deorum atria aſcendere, lucidiſſima ſuprà omnium ſyderum lumina manere, in quibus ego cum populo meo cum plebe mihi à Dijs dicata perpetuo viuam.

Poſteà ijdem Sacerdotes mihi retulere, in alia longè regione orientem verſus populum eſſe, qui verum prudentiæ, & ſapientiæ Deum adorat, quem lingua patria antiqua Manaid, Banaam Sanaam appellant, qui magno adeò in eos populos amore, magno adeò affectu agit, quod nouo quoque anno per terras humanas redeunte in media nocte ipſemet Deus in altiſſimo per medium aerem throno toti latè genti ſe aperit, & ſonitu tubarum tympanorum, & vario per totum aerem ſtrepitu oriente, & incognito lumine totam eam terram irradiante, attoniti populi è ſtratis ſurgunt, & toto corpore per terram diſtenſo Deum adorant pueri, & puellæ aqua viua dilutæ per latos patriæ campos exeunt, & acie per cœlum retenta tandiu manent, quamdiu vocem diuinam audiunt. Quæ tandem eo modo ſe reſerat.

Deum prudentiæ, & ſapientiæ.

O po-



O populi mei, qui à primo terræ veſtræ principio me coluiſtis, nec vlla temporum mutatione à numine meo diſceſſiſtis, nec vlla ſæcula per ipſos hominum animos, quę ipſum latè orbem mutant, vos mutauere, & cum res hominum naturæ fragiles, & commendatiſſima tantummodò apud ſuperos altiſſimi cœli conſtantia ſit, vos ego mortales vehementer laudo, tantum bonum potuiſſe retinere; itaque inpoſterum ego ſolus Terram Tenneaeam cordi affixam tenebo, & ſęua eam peſtilentia, fame, cœli contagio, nimio calore, nimio frigore, & omni malo liberam faciam. Vos, filij mei me Deum prudentiæ nuncupatis, & rectè quidem, omnia enim ęui pręteriti ſęcula in memoria teneo, omnia ad præſens cur-



ren-

rentia, alto vbique iudicio video, omnia ventura, non minus quam præſentia, antè me habeo. Vos filij mei, me Deum ſapientiæ appellatis, nec immeritò, Diuina, & humana omnia in mente iura teneo, ſacra, & profana omnia, altiſſimo vbique animo tranſcendo, & nihil eſt, quod me Deum ſapientiæ lateat. Quare, filij mei, ſi ea virtute egeritis, qua patres veſtri egere, ſi hiſce meritis, ſi ipſa in patriam charitate, ſi ipſo in me Deum amore eritis, quo patres veſtri fuere, hæc omnia munera animi mei, pro communi patriæ veſtræ bono, pro priuato omnium commodo expendentur, & animæ tandem veſtræ, me duce per alta per Cœlum ſydera ferentur. Valete filij mei.

Nihil latet Deū ſapientiæ.

Et



Et tandem vndecimo deindè die, quo ad regionem Budomelis perueneram, à Præfectis regijs diſceſſi, & vt meam nauigationem ſequerer, ad optatum iam mare redij, vbi cum quoſdam è familiaribus meis, & multos è nautis graui, & incognita paſſim valetudine premi, reperirem, ad vigeſimum planè, & quartum diem in eo littore me tenui, vbi aſſidui nuncij præfectorum Regis, vbi magna quotidiè munera, vbi magnæ primorum hominum viſitationes vndique me recreauere, & tunc planè comperi maiori longè vrbanitate, maiori longe benignitate, & clementia ipſos Æthiopes cum exteris remotiſſimarum nationum gentibus ſe habere, quam ipſi Europæ, Aſiæ, & Africæ mortales agant, & tunc apertè noui, æquitatem genti Æthiopicæ peculiarem eſſe, & omni, apertè, barbarie carere, qua mortales hemiſphęrij noſtri omnino abūdant, qui gentes alterius coloris, qui alterius legis populos ſub immani captiuitate, ſub truci ſeruitute ponunt, & tenent. Deindè à littore Budomelis diſcedens (Pater Beatiſſime) quotidie nouos populos, noua regna, nouas gentes, & inauditas nationes, quæ alia longè facie agebant, quam in orbe Europæ, & Aſiæ, agunt, perluſtraui, & tandem ad terram regni

Æthiopes benignitate cum exteris omnes mortales ſuperant.

 Mo-

Molóгonæi perueni, quæ patria alio à Luſitanis nomine, quam à Rege, ab optimatibus, à Pontificibus, à populis eius regionis nuncupatur. Eſt hoc regnum multis riuis, multis ſtagnis, multa terræ humiditate, nobile. Acteonem Regem habet, qui ſexcenteſimo, & viceſimo ab eo littore lapide in vrbe Gongonea erat, filius verò Actongoos trium dierum itinere à mare aberat. Quo tempore, cum nauis noſtra è magna parte reparanda eſſet, ego in pagum vicinum conceſſi, vbi incolæ cum magno me amore excepere, & paulò poſt litteræ Actongoois regis filij allatæ, retulere aduentum noſtrum ad littora Æthiopiæ gratiſſimum ſibi fuiſſe, & ſe infrà paucos dies ad me venturum eſſe; cupiebat enim Epiſcopum album, è remotiſſimo alio mundi cardine intueri, legem audire Chriſtianam, & cum eo in naui cænare, & cum ego aduentum ſuum mihi optatiſſimum futurum, reſponderem, & lætiſſimo etiam animo eum expectare dicerem, ille octauo poſteá die ad me venit, præcedente longo, & numeroſo optimatum, Sacerdotum, & populi agmine, cui cum obuiam exirem, habitu Pontificali indutus, mitra, & cæteris ſacrorum Præſulum ornamentis cultus, á longo per apertos campos ſpatio, adoleſcentem vidi præal-

Acteon Rex.

Gongonea. Vrbs.

Actongoos filius Regis Acteonis ad me videndũ venit.

to



to omni parte Elephante vehi, & reliquos primarios viros in vaſtis Elephantis ferri, qui grandi adeò promuſcide, & duorum dentium magnitudine ſe retegebant, qui ſtuporem minimè mediocrem nobis omnibus afferebant. Cæteri item è populo in magnis Camelis, qui duas in longo dorſo concauitates tenebant. Duo quoque Elephanti ligneas turres cum trecentis hominibus ferro munitis, in tergo geſtabant, & tandem Actongoos ſimplici indufio goſſipino perpulchré phrygiato indutus, relicto Elephanto ad me cucurrit, cũ admirabili vbique gaudio me excepit, ſignum pacis dextra in me tenta dedit, & partem hominum, qui ſecum veniebant in eodem loco, vbi ego eram remanere iuſſit; partem per vicinos pagos ſe tenere imperauit; partem verò remota adire oppida voluit; ipſe verò cum duodecim optimatibus, & totidem è primaria nobilitate pueris, nauem meam conſcendit, vbi regale ei conuiuium paratum erat è pane triticeo, quo Æthiopia caret, è vino Bętico, è gallinis, caponibus, pauis, & carne ſuilla, è vario ſalſamentorum genere, quo ſummoperè exhilaratus, cum abunde comediſſet, in lecto meo recubuit: poſtea, die iam inclinante, cum incredibili affectu, cum incredibili beneuolentia, cum

Actongoos Elephante vehebatur.

Cameli Aethiopes duas in dorſo concauitates habẽt. Ligneæ turres in Elephantis.

Actongoũ in naui conuiuam.

 non

non credendo planè amore à me diſceſſit, & ſeptimo deindè die camelos cum multò vino è palmis educto, multò milio,& multa oryza onuſtos,ad me miſit, & interim dum ibi eſſem ex imperio eius multa quotidie munera, è vicinis pagis, è propinquis populis Dromedarij aduehebant,quę puellæ forma egregiæ, licet nigræ offerebant. ipſæ enim parua ora, ipſæ brachia parua, ipſæ in pectore mammillas, & omnia demum lineamenta ita venuſtè effecta tenebant, vt pulchrius eſſe nihil poſſet. & poſtremò cum quadrageſimũ, & octauum iam diem in naue vbique reſarcienda cum vario munere peregiſſem,duo maximi ſerpentes ab Actongoo principe miſſi ſunt, ita mites, vt nihil adeò mite eſſe poſſet, & litteræ ab Acteone Rege allatæ,& à me hic traductæ.

Duo Serpentes ad me miſſi.

Litteræ Acteonis ad Alex. Epiſc.

*Acteon patriæ Malongoneæ Rex; Tibi Præſuli Chriſtiano, vitam longam, & tempora perpetuò beata, opto. Læto animo audiui te ad littora Oceani noſtri delatum eſſe, & filium meũ Actongoum te adiuiſſe,& varia patriæ noſtræ munera miſiſſe. Ego niſi*





*longa terrarum intercapedine impedirer, ad te ſeruum Dei illicò venirem: Nunc quoniam nullo modo id fieri poteſt, te rogo, vt nomen ad me tuum mittas, eo enim audito, plurimum delectabor, eò quod tu primus ad Aethiopes Pontifex alterius legis acceſsiſti, & quoniam te magnum æterni Dei ſeruum eſſe audio, vehementer oro, vt eumdem Deum pro Actongoo filio meo, pro populo meo, pro me, & pro tota late poſteritate regni mei ores.*

Cui ego hoc modo reſpondi.

*Alexander Geraldinus Epiſc. Acteoni Malongoneæ patriæ Regi S.P.D.*

Litteræ Alexandr. Epiſcopi ad Actonem Regem.

*Regiæ litteræ tuæ ſummum mihi gaudium attulere, & ſi celſitudo tua ad centeſimum à littore Oceani lapidem fuiſſet, è veſtigio ad eam cucurriſſem; Nunc quoniam nulla planè*

*facultas ſublimitatis tuæ adeundæ mihi data eſt. Ego, & te magnum Regem; & Actongooum filium, & nomen patriæ tuæ cordi affixum ſemper habebo, & quoniam nomen meum petis. Ego vocor Alexander in remotiſſimo Europæ cardine natus Ameriæ illic, vbi maxima Roma in toto Hemiſphærio ſuperiori caput eſt, & Paſtor populi Chriſtiani, ipſum propè Aequinoctiū ſum, quod ad dexteram terræ tuæ eſt. Chriſtum adoro verum cœli, & terræ, & Pelagi Regem, & ego hunc pro regio ſolio tuo, pro Actongoo filio tuo, pro tota latè gente tua aſſiduè orabo. Vale magne Rex.*

Putabat Deū ſupra ſolē, & lunam, nullam de gente humana curam tenere.

Hic Rex (Pater Beatiſſime,) duo numina colebat, Solem, & Lunam, à quibus omnia terrarum bona ſuccedere affirmabat, qui etiam putabat, ſupremum vnum, ſuè pra Solem, & Lunam Deum eſſe, qui nullam de gente mortali curam tenebat: Itaque Reges, & populi Malongoonei aſſidua





Soli, & Lunæ ſacra faciunt, eò quod credunt tanta apud ſummum Deum auctoritate, ea numina agere, vt bonos loco per cœlum ſancto conſtituant; malos verò, per loca vmbroſa, per loca horrore plena, vbi lachrymæ, luctus, metus ſemper vigēt, per loca, vbi ſemper noua tormenta apparent, vbi nulla quies, ſed inaudita quotidie mala ſurgunt. Ego verò, octauo, & quadrageſimo deindè die, quo in hoc regnum deſcenderam, ab eo diſceſſi, & inter nauigandum, quod mihi grauiſſimum fuit, ipſi nautæ illos duos Serpentes, quos à Rege Acteone habueram, interfecere, alia cauſando, quàm quod verum erat. Quare hoc veluti miraculum contigit, quod omnes, cutem è toto corpore mutauere, mole corporea prępingui, & vbique ſaginata redditi ſunt; & tandem Septemtrione plurimum fauente, poſt paucos dies ad promontorium capitis viridis perueni. Eſt hoc promontorium in tota Æthiopia Illuſtre, cui nomen à Præfectis Luſitanis inditum eſt, eò quod longo per Oceanum curſu, viridātibus vndequaque arboribus, cum admirabili vndique pulchritudine, cum oblectabili vbique effigie, ſe oſtendit, è regione maris multa agricolarum mapalia habet, ad quæ cum cymba trāſmiſiſſem, Ruſtici Æthiopes benigno vultu, me

Promontorium capitis viridis.

Benignitas & officiorum capitis viridis.

excepere, edulia ritu eorum plura grato animo attulere, renunciauereque ante aduentum Luſitanorum, homines nullos, qui albo colore agerent, ſe vidiſſe, ſed vulgata antiquis ſæculis fama erat, homines hemiſphęrij noſtri, albos eſſe, & nigros Æthiopes comedere, quam opinionem tricesimo antea anno, cum longo comercio Luſitanorum, omnino exuere. Deinde cum plures fructus, plures amphoras vini è palmarum arboribus emiſſi detuliſſent, ſine vllo iuſſu meo omnia nautarum dolia aquis repleuere, & cum in eo eſſem, duo Sacerdotes è vicina promontorij ædicula, aduenere, quos cum de vicinis vrbibus, & de tota latè regione interrogarem, reſpondere, ducenteſimo, & ſeptuageſimo inde lapide ciuitatem Brandiſinam, cum celebri templo eſſe, regalem Amoſæ regis domum, & Pontificalem Gurani Antiſtitis ſedem manere, & cum ego antiquitatum indagator peterem, an aliquam patrum veterum memoriam haberent, & ſe minimè habere reſponderent, & poſteà, an aliquod ſæcli antiqui monumennum in magno eo templo eſſet, quærerem, & alter eorum, nobile magni patris Saræ edictum in ſcrinio domi tenere, ſe affirmaret, & è veſtigio illud ferret, in linguam illud noſtram hoc modo traduxi.

SA-



# SARA PALANTERAE TERRÆ PRÆSVL.

Publico edicto in grandi marmore ſculpto, publico mandato hic publicè manente omnibus Sacerdotibus rite, & ſanctè inſtitutis, mando, etiam omnibus hominibus, quibus cæleſtia obire ſacra datum eſt, iubeo etiam ijs, qui præſenti tempore, & ijs, qui futuro ſæculo erunt, edico, ſub furore diuino eis venturo, qui non paruerint, ſub ira Dei per capita eorum obreptura, qui id impiè detractarint, & ſub poteſtate mihi à cœlo attributa, impero, vt in quacumque futurorum præſulum electione in primo patriæ templo, quod in vrbe Brandiſina eſt, in vnum cocant, toto corpore aqua pura diluto, antequam in æde Deo ſancta conueniant, mox

Monumentum Saræ Pontificis.

Magne in eligẽdo Præſule conditiones.

pe-

pectore per retentum ſolum ſtrato, orent; Inde per omnia altaria, animo vndique deuoto, operentur. Poſteà communi voto ſanctum Patriæ Antiſtitem cooptent, qui legitimo matrimonio ortus ſit, qui præclara doctrina, teſtata per gentes pietate, commendato morum genere, agat, cuius parentes in magno Dei timore viuẽdo fuerint. Quorum vita vbique nota, quorum innocentia vbique probata manſerit, qui magna in pauperes miſericordia, magna cum toto populo charitate ſteterit, & ſimilia, illum ornamenta habere volumus, & tantò maiora, quantò maiori per populum dignitate ipſe futurus eſt, quam illi fuere, & ſi aliter actum erit, eam electionem planè nullam eſſe volumus. Vota electo-





rum, nullum habere pondus decernimus, damuſque poteſtatem Excellentiſſimo Regi, omnibus patriæ magiſtratibus, & populis eum à ſede Pontificali amouendi, tollendi, & eijciendi, non tamen vllam habeant auctoritatem eum interficiendi; viri enim profani nullum habent imperium in ſacra hominum corpora, in gentes Deo dicatas. Electione verò ſanctè, & ritè facta, mandamus eum, qui fuerit electus in altiſſima ſede ſuprà humeros hominum per templam patriæ maius per vrbem totam, per reliquas paſſim ciuitates, per cætera oppida, per latiſſimam vbique diæceſim vehi. Si enim profani per orbem principes magnos capiunt honores, eò quod magnam in gente ſubdita poteſta-

Viri ſacri nõ debent interfici à gente profana.

tem tenent, longè maiora ſanctiſſimis Pontificibus ornamenta debentur, qui curam animarum ſuper regna cæleſtia vehendarum, gerunt.





# ALEXANDRI GERALDINI EPISCOPI.

## LIBER SEXTVS

EGo (Pater Beatiſſime) hoc itinerarium meum in magno Oceano inchoatum, & in vrbe S. Dominici finitum à principio in paucos libros diuiſeram. Mox in plures ea ratione, quoniã magni libri animos hominum offendere conſueuere, nullam gratiam tenere, in magno etiam faſtidio eſſe; parui verò animum oblectare, nec mediocrem voluptatem ferre; & in ipſa quoque memoria remanere. Nunc, (Sanctiſſime Pater) attentè nobis ad finem vſque eundum eſt. Cum ego in capite promontorij viridis me tenerem, vt vicina, & remota quoque Regna cognoſcerem, ibidem mihi retulere ponè illud promontorium multas vrbes, multa regna,

Itinerarium in magno Oceano inchoatum.

Regio libera.

multa liberorum populorum oppida eſſe, quæ ſine vllo planè Imperio regum viuebant. Quare tribus Inſulis, quæ paruæ erant ad dexteram relictis, cum eò adnauigaremus, & ad ſiniſtram retrò promontorium ferremur, vbi ſinuatum mare longo circuitu erat, proſpeximus regionem, omniū Æthiopiæ, & Africæ amęniſſimam, effuſa in immenſum plana, altiſſimas arbores, multa oppida, multa loca illuſtria, & plagam terræ omni parte oblectabilem, vbi magna flumina, pulchri riui, ſiluestres multi fructus, & varia poma erant; vbi cū maria parùm profunda apparerent, naui per altum Oceanum conuerſa ad caput curuati ad longum ſinus, nocte incipiente peruenimus. Ac ibi per internuncios accepimus nullum regem, in ea regione eſſe, ſed magiſtratus communi patriæ decreto, eligi, qui nullam vitæ, necisque poteſtatem, niſi adhibito multorum conſilio, habent. Ibi etiam cum in naui noctem traheremus, intelleximus, homines eius patriæ proceræ ſtaturæ eſſe, libertatem à maioribus relictam fortiſſimè tutari, arcui, iaculo, venenatis ſagittis, robore præſtanti, finitimos omnes anteire. Eam prętereà regionem magnis adeò fluminibus cinctam, ſtrictis adeò arboribus innexam eſſe, quod nulli reges, niſi cum ingenti

Regio omniū Aethiopiæ ameniſſima.

Homines proceræ ſtaturæ.





cæde, & amiſſo exercitu, eam adiere. Mane poſtea ſuccedēte, fide publica communi magiſtratuum, & populi conſilio recepta, cum admirabili concurſu à primario Præſule linea vitta caput cincto, à Sacerdotibus, à magiſtratibus, ab innumerabili mortalium multitudine, cum maxima vbique gratia ſuceptus ſum; Cupiebant enim barbari gentes albas intueri, & Antiſtitem alterius religionis cum ingenti expectatione exeuntem naui, morabātur; Et tunc. Deos per altaria coli, diuiſa mari, terræ, & cœlo numina vidi, & vana oracula Deorum reddi audiui, & tandem magna cum magiſtratibus amicitia contracta, multæ nomine publico gallinæ, multi anſeres, multæ aues, datæ ſunt, quæ alia, longè, forma, quam noſtræ agebant, multa munera panis è milio, & è radicibus non inſipidi, adeò quod Deus nullam orbis partem ſine edulio, quo homines ſuſtentari queant, reliquit. Multa vini dolia è palmis tulere. Tota enim Æthiopia tritico, hordeo, ſiligine, vino caret, quodā olei genere floret, quod odore violaceo, colore croceo, ſapore oliuæ agit, & dapes colore croci illinit. Poſteà in lautiſſimo conuiuio, vbi multi Pręſules, omnes patriæ magiſtratus, & multi nobiles erant, inter innumeras aues, quæ alia, quam noſtræ

Oracula Dij reddunt.

Mirum olei genus.

Faſeoli, & fabę magnitudine glandium.

forma nihil commune cum auibus Cœli noſtri habebant. Inter varia edulia, faſeolos magnitudine glandiũ, & fabas:mihi eo modo grandes oppoſuere, quæ rubro, vel albo ſolum colore erant. & multa quoque legumina, quæ cum admirarer, Primarij viri mihi retulere miram Æthiopiæ vbertatem eſſe, miram populi inertiam; Agricolas enim tantum ſerere, quantum vnicuique familiæ ſat eſt, menſe Iulij ſeminare, Septembri legere; & ſolos in toto orbe trimeſtri ſpatio meſſem capere. Poſteà inter cęnandum cum de Dijs eorum, de ſacrificijs, & de templis peterem, reſpondere Deos eorum adeò antiquos eſſe, vt nulla in ſacris, neque in prophanis libris memoria extet, quæ id referat, ſe tamen audere affirmare, nullos populos adeò beatos eſſe, quam ij populi ſunt, eo Deorum genere, quo agunt, qui nullum malum in tota ea patria eſſe ſinunt, publicis reſponſis, quæ continua ſunt, multiplici monitu, & viuo oraculo ab eorum ore emiſſo, præterea eam curam de tota regione tenere, quam ipſi cum nullo ſtudio populi habere poſſent, & propterea totam gentem adeò dicatam ſibi effecere, quod nulli Dij in aliqua parte orbis in maiori honore, quam in hac terra agunt, & eos loca vbique ſancta retinere, & primarium templũ

Aethiopes trimeſtri ſpatio meſſem capiunt.

Dij in hac regione nullum malum eſſe ſinunt.

cen-



centeſimo, & octogeſimo ſecundo inde milliario cum vetuſtiſſima Ioquelis Pontificis imagine, quæ longè antiquior ipſo templo eſt, quod quidem quater è marmore candidiſſimo erectum eſt, & vt plura indicant monumẽta è marmore nigro, præteriere vltrà quadraginta annorum millia ab eo ſæculo, quo prima vice conditum erat, ſub Rege Conooæ, & Ioquelo terræ Manaſſabeæ Paſtore, & cum ſummo ſtudio rogarem, vt aliquod mihi monumentum enarrarent, quod in linguam ego meam traducerem. *Illi* è veſtigio Dannaoam Sacerdotem in vrbem Boſcanam miſerũt, qui è baſi antiquiſſimi Patris Ioqueli omnia elementa ibi ſculpta in papyro Æthiopica traduceret, dixitque mihi ſingula litterarum elemẽta vnum nomen, vel integram planè orationem ſignificare, & cum poſt aliquot dies ille rediret, ego illud hoc modo traduxi.

Ioquelus Pont.

Vnum elementũ vnũ nomen, & integram ſignificare orationem.

## IOQVELVS MANASSABEAE TERRÆ PONT.

O gentes olim datę mihi, à ſummo Cœlo! ò incolæ terræ Manaſſabeæ à Dijs ſuperis mihi vni exhibitæ, conſiderate, moneo, ac toto ani-

Nobile monitum.



mo

rino euoluite, quod nemo mortalium Deos adeò fauentes habet, Regio velut noſtra habet, nemo numina ad bonum commune adeò fauentia tenet; ſi extera ingruant, bella, Dij renunciant; ſi victoria gentì noſtræ comparanda eſt, Dij dicunt; ſi contagia ex aere corrupto ventura; ipſi pandunt, & ea quomodo vitanda ſint, retegunt; ſi ſterilitas toti patriæ ſucceſſura, ipſi itidem enarrant, quæ remedia genti noſtræ adhibenda ſint, non ſilent; ſi nimiæ è Cœlo inundationes futuræ, ſcimus; ſi magnæ ſiccitates, non ignoramus, & omnia demum mala, ipſi Dij tollunt! O Filij mei, qui modò eſtis, & omni tandem ſæculo futuri. Nam poſtquam ego eſſe deſiero, quoad ipſa per Cœlum ſydera current, quoad





ipſi in ſummo Olympo Dij erunt, qui ſemper erunt, & nullum aliquo ſæculorum curſu finem habituri ſunt, ſemper ero Pater veſter, nec vlla temporum vetuſtas, me à vobis amouebit; ſeruate quoad ſæcula current cultum Dijs patriæ veſtræ incorruptum, retinete ceremonias à Pontificibus antiquis conſtitutas, quas ab alto ipſi Cœlo habuere, pietate Deum fauentiu patriæ veſtræ, quas ab ore Deorum recepere, qui amore in vos, & in terram veſtram non credendo ſunt! O Filij mei, facite, vt pari in eos amore ſitis, qui admiranda patribus veſtris bona præbuere! O gentes meæ ea agite obſeruantia, qua reliqui Aethiopiæ populi vos admirentur, ea eſtote fide, quam omnes in toto orbe gentes ſtudeant æmulari! O Filij mei,

omni planè modò curate, ne ingrati ſitis, nullum enim apud Deos immortales, crimen, nullum apud homines æquè deteſtabile, quam ſæua ingratitudo eſt, ſi grati eritis, maiora longè bona, quam patres veſtri, maiora quam ataui veſtri capietis beneficia! O Filij mei diſcite ab ipſis Dijs nobile gratitudinis opus ſemper memoriç retinere, qui mediocria nulla obſequia, qui nulla vnquam officia à quoquam habuere, quç non multiplicato munere, quæ non multiplicata gratia, non multiplicatis vndequaque bonis rependantur! O filij retinete in memoria quæ dixi, & ipſa Deorum pietas omnia vobis beata, omnia fauſta, omnia apertè felicia exhibebit, omnia poſteritati veſtræ ſecunda, omnia familiæ veſtræ

Nullū apud Deos,& homines tam deteſtabile crimen quā ingratitudo eſt.

for-



fortunata, concedet. Valete Filij mei.

Mox in eiſdem toris. Nam Æthiopes in ſolo tapetis ſtrato, & in mantilibus goſſypinis cœnant, cum eos vehementiſſimè laudarem, quod ſoli in eo axe nobile Reip. nomen colerent, libertatem commune populi bonum tenerent, & quomodo Reges reiecisſent peterem, dixere reges Æthiopiæ, ea poteſtate in vxores, & liberos ſubditorum agere, vt eos liberè vendere permiſſum eis ſit, & ſæpè etiam neceſſitate cogente, remotiſſimis aliarum nationum gentibus diſtrahere conſueuiſſe: Quare maiores eorum, vt è characteribus Æthiopicis in marmore, in ebore elici poteſt, trecenteſimo, & ſeptuageſimo octauo ſupra centeſimū, & milleſimum annum, reges interfecere, & libertatem amplexi, totam poſteritatem è tyrannorum iugo liberauere, & cum etiam peterem, quo menſium ſpatio annus apud eos finiretur, & quam in ordine dierum obſeruationem tenerent, comperi, eos trimeſtrem annum tenere, diem verò ab ortu ſolis ad occaſum vſque, noctem verò, neque inter dies, neque inter noctes, neque inter annos computari, eo quod eo tempore feſſæ mortalium mentes conqueſcunt, nec vl-

Aethiopes in ſolo tapetis ſtrato comedunt.

Summa Regum Aethiopiæ poteſtas.

De obſeruatione dierū & noctium plana notāda.

lam

lam vitæ humanæ actionem habent, & multos quoque populos annum tenere vnius menſis curſu à luna collecto, alios trium, alios quinque, alios decem, alios duodecim, alios quatuordecim, alios nullum annum habere; ſed numero dierum recepto à curſu ſolis regi. Multi diem à meridie, ad alium vſque meridiem, multi ab ortu ſolis, ad alium vſque naſcentem Solem, multi, qui lucem nocti parem tenent, duodecim horarum diem appellant. Ibi leges, Iura, plebiſcita, antiqua maiorum decreta mihi explicauere, quæ dignitate, & æquitate plena erant. Item cum ritus, & mores aliarum gentium, ſcire cuperem. Naaſamon Barbazinæ regionis præſul, qui in ea cœna erat, homo prudentia, integritate, rerum notitia, & doctrina inſignis mihi dixit, quod ſequenti poſtea die me adiret, & multa quoque referret, quæ mihi magnoperè grata eſſent.

ALE-



# ALEXANDRI GERALDINI EPISCOPI.

## LIBER SEPTIMVS.

CVM longa per Æthiopiam mora minimè placeret, (Pater Beatiſsime) & magnoperè timerem, ne ipſe Naaſamon per aliquot me dies domi teneret, viuebat enim, in magno omnium amore, tandem pro eo ego miſi, qui tertio tandem die, cũ hoc oraculo Dei Sinnamomi, ideſt, Dei Sapientiæ ad me venit, quod in templo regionis Aanneæ eſt.

*Deus Sinnamomus.*

*Aannea regio.*

O tu, qui huc intras, vide qui ſies, quo videlicet genere! quo iudicio, qua præterea auctoritate, nihil ſupra modum ages, ac eo modo in nullo populi odio, in magno omnium

nium

nium amore eris, nihil, quod medium excedat ſequere, & omnia ſecura, omnia plana current, ſapientiam omni ſtudio cole, time Deum, adhęre bonis, omni patriæ Iudicio ſis præſens, euita lites. ſi hæc ages ritè ſapiens, omnia tibi quieta, omnia tibi ſecunda ſuccedent.

*Sancta Cōſilia Dei ſapientiæ.*

Deindè nobile è candido ebore ſcriniū à familiaribus afferri fecit, narrauitque ſuperiori tempore multa Æthiopiæ regna ſe petijſſe, multos populos, & varias gentes adijſſe, & plures, & ignotas, ad Zonam vſque Torridam nationes ea ratione peragraſſe, vt multa poſteà in Templis patriæ ſuæ monumenta relinqueret, quæ toti latè poſteritati prodeſſent, quæ longiſsima per Orientem multò maiori longè homine egerent, quam ipſe ſit, & cum ego memorabile adeò opus omni parte commendarem, inter multa memoria digna, quæ longo opere egerent, mihi retulit, quod ad milleſimum, & octingenteſimum à iuriſdictione ſua lapidem, quædam Regio vndique longa, & lata erat, quæ ſub Imperio muliebri agebat, vbi viri per domeſtica

*Regio quædam ſub Imperio muliebri.*





meſtica ſolū ſe occupabāt, & ſub muliebri planè ſeruitute eſſe gaudebāt, & cum eam Regionē ingrederetur ſe altiſsimā Turrim è marmore vidiſſe cū hiſce characteribus quibus Inſeæna antiquiſsima olim Regina omni ſe ſcelere purgabat.

*Inſeena regina.*

## INSEENA MAIDA ONZONEÆ TERRÆ REGINA.

O Viri! O fœminæ, quæ à terra huc extera venitis, ò populi, qui à patria prope ſita, vel à Regione longè poſita huc intratis, cum muliebre in hac terra Imperium videbitis, fortè errore ducti, putabitis omne patriæ regimen nos occupaſſe, coniuges in ſeruitutem poſuiſſe! O piæ gentes, ne hoc credite, fœminæ enim humanę ſumus, nec tantum à noſtro ſexu ſcelus admitti poteſt, verùm quicumque huc venitis, ex ipſo ſolum conſpectu,

qui viri noſtri ſint cognoſcetis;ſunt enim viri noſtri libidine pleni,inertes, ignaui, nulla clarorum hominũ fortitudine,nullo decore viuunt, homines ſunt, neque ad regimen Reipublicè idonei, neque ad arma tractanda habiles, nulla conſtantia, nulla fide agunt, robore non mediocri ad onera huc, & illuc portanda valent, nulla hominum memoria extat, nec in libris ſacris, nec in profanis, nec vllo patriæ noſtræ monumento, quomodò hoc factum ſit. Credo ego ab ipſo ſyderum aſpectu, maritos noſtros, reprimente, hoc obueniſſe; ſi enim ipſę fœminæ Imperij cupiditate hoc feciſſent, coniuges interfeciſſent, veluti multæ Amazonum Regiones in Æthiopia fecere, quæ dexteram mamillam ferro reciſam

Bonæ rationes.

te-



tenent, vt ad bella fortiter exercenda habiliores ſint,hæ filios à ſe ortos per remotas longè terras abijciunt, filias ingenti cura reſeruant. Nos filios, ea pietate, qua ceteræ per orbem matres, lacte noſtro enutrimus, in patria noſtra perpetuò retinemus, & cum eos iuuenili ætate ſuccedente, ad ſeruilia opera procliues nullo ſplendore virili,per animos eorum pulullante,nolentes,inuitæ, per fęminea, & domeſtica patriæ,officia relegamus;itaque!o populi! O mares! O fęminæ, quæ ab alia huc patria admeatis, cum hanc hominum noſtrorũ infelicitatem conſideramus, pro re veluti comperta credimus à primo Æthiopiæ initio viros noſtros ſponte mulieribus ſe ſubieciſſe, & conſiderata ingenij imbecillitate hoc genus vi-

uendi

uendi elegiſſe, & hanc ſanè ſeruitutem appetijſſe. Præſtabat enim hoc agere, quam ſub immanē barbariē, quam ſub crudelem exterorum ſeruitutem deuenire! O boni viri! O reliqui è quacunque regione mortales, quos publica, vel priuata in hanc patriam negotia trahunt, omnem opinionem, quam de noſtra Tyrannide concepiſtis, deponite. Videtis enim fęminas patriæ noſtræ, ingenti corporum agilitate à natura agere, viuido omni parte ingenio, præalto ad Sacerdotia adminiſtranda, iudicio eſſe, ſublimi, ad regimen patriæ conſilio viuere, præſtanti ad bella gerenda robore, homines verò tardos, præpingues, nullo clarorum hominm cultu, nullo animi ornatu, ad miniſteria humilia, ad opera intra

pa-



parietes fœminea ad verbera, ni paruerint, paratos eſſe.

Deinde cum eam terram intraret, præclara vbique oppida, Regnum auro, & argento nobile vidit. in quo nere, texere, lauare, rerum domeſticarum curam habere, opus hominum erat, mulierum verò, arma tractare, Sacerdotia adminiſtrare, Magiſtratus obire, Publica patriæ munera, mercaturam, & reliqua omnia in ſolo natali, & in remota à patria regione gubernare. Poſtea cū Naſaccenam vrbem intraret, fœminas primarias longa mulierum multitudine ſubſequente per Ciuitatem, incedere conſpexit. In lato præterea foro matronæ iam longeuæ æqua toti patriæ iura reddebant, communi Reipublicæ bono proſpiciebant, cum ſumma grauitate per alta plateæ loca ſedebant, & eas cum admirabili veluti ſpectaculo omnes venerabantur, & ſilentium omni parte mirum apparebat; Inde cum ad primarium templum ſe conferret, mulieres vitta alba ornatas ſpectauit, per ſancta Deorum Altaria ſacra offerre Octoannam verò Antiſtitam in excelſo ſolio agentem, & veſtibus auratis ambitam, veneratus eſt, quæ è veſtigio ſublime aliud pro ſe extero Antiſtite ſolium parare fecit, & tandem cum an

Regnū mulierum auro & argento nobile.

Naſacena Vrbs.

Octana Antiſtita.

H tiqua

tiqua omnia eius terræ ſacra ab ore eiuſdem magnæ Antiſtitæ accepiſſet, in capite templi proſpexit venerandam Atteæ Antiſtitæ figuram, quæ in præclaro templi pariete eminebat, & hæc verba in grandi marmore ſculpta ante ſe habebat.

## CONOEN ATTEA ONZEÆ PATRIÆ ANTISTITA.

O Sorores meæ, ſummo Deo Cœli dicatæ! O ſorores meæ illi ſolummodo caſtitatem profeſſæ, oportet cum grandi eam ſtudio ſeruare, neceſſe eſt integram illi fidem retinere; oportet ſanctum illi ſponſo amoré perpetuò habere! O ſorores homines fallere nobis datum eſt, altum verò Deum fallere, nulli genti humanæ tributũ, à ſublimi enim Cœli aula omnia aperta tenet, omnia vbique tecta penetrat, omnia per orbem arcana videt, nullum verbum adeò ſubmiſſe, dictum eſt, quod non audiat; omnia hominum

Homines fallere datum eſt Deũ vero nemini

fa-



facta, ſiue bona, ſiue mala ei patent. Itaque (ſorores meæ) cũ natura fragiles ſitis, cũ mulieres patriæ noſtræ apertum carnis calorem non facilè reprimant, nec Deum poſſitis ſponſum veſtrum fallere, tria remedia à vobis adhibenda ſunt, primo omne ocium à templo noſtro tollendum eſt, ſecundo oportet in ipſo cubili parum eſſe, multa inde mala oriuntur, tertio in effundendis Deo noſtro precibus aſſiduè verſari opus eſt; reducite, oro, in memoriam, quot templi noſtri ſorores breui tempore periere, multæ equidem, quæ magno in vos amore erant, vt cinis, vt puluis, vento raptæ, amotæ à vobis ſunt. Conſiderate (quæſo) quot quotidiè gentes in regione veſtra occumbant. Reſpicite (precor) quod breui tandem mo-

Tria remedia contra carnis calorem.

riendum vobis eſt! O ſorores iter ad Cœlos parandum eſt. Non debebatis ad ſacra templi miniſteria vos obligare, ſi omnis planè cura de cœlo conquirendo, futura non erat. Vos ſolæ magno totæ regioni exemplo eſſe debetis, vt reliquæ vbique gentes noſtræ ad bene, & ſanctè viuendum ſe accingant. Vos ſolæ præcipuam de Cœlo nanciſcendo cogitationem, vos præcipuum de imo tartaro euitando cõſilium habere, religione cogimini. Non opus erat ad ſanctum templi noſtri officium venire, ſi promiſſam Deo caſtitatem cum memorabili fortitudine ſeruare, non intendebatis. Ego (ſorores meæ) quotieſcunque video aliquam Collegij veſtri ob pudicitiam æterno, & immortali Deo violatam lapidibus

Pulchrę dicta.





obrui, tunc ego vitam noſtram ad eum perueniſſe diem, in immenſum dolco. Tunc ego cum plebem noſtram ad publicum veluti ſpectaculum, ad mortem veſtram currere cerno, ipſam aperte lucem amittere, pro ſumma fęlicitate, pro ſumma planè beatitudine haberem. Itaque ego templi Princeps, ego Antiſtita cupiés omnium ſororum decori proſpicere, vt omne à Collegio veſtro ſancto opprobrium, omne à collegio veſtro malum tollam, volo, iubeo, & mando vnamquamque veſtrũ ſubligacula è duro chalybe præcincta tenere, quæ duæ templi æditu æ claui ferrea occludant, & quotieſcunque ipſum leuare ventrem oportuerit, aperiant, quæ æditu æ hoc ſe tantummodo negotio occupent, huic tantum-

Mortales lapidibus obruebantur non ſeruata caſtitate.

modo rei vacent, præſtat enim hoc facere, quam maximæ quotidiè ignominiæ ſubiacere,& ipſas velim æredituas omnia apertè merita pro eo labore aſſequi, quæ ipſæ Sacerdotes in rebus diuinis adipiſcuntur, quæ publica, & priuata in templo ſacra operantur. Valete cariſſimæ ſorores. Valete filiæ.

Et cum ipſe Naaſſamon ſummopere mihi placeret, ob magna ea, quæ paulò antè ornaméta enarraui.& propterea plura ab eo ſcire cuperem,pętij,vt cum multa mihi retuliſſet, & plura quoque referret;Optabam enim multum ei debere,qui amico adeò animo in me fuerat, ac ob eam rem, cum in remota longe gente recenſenda deſiderio meo ſatisfeciſſet, orabam, vt de regione ſua, quæ claro vbique nomine agebat, de Dijs populi ſui, de antiquis Pontificum monumentis aliquid commemoraret,qui dixit Barbazinem terram in interiori Æthiopia ad Auſtrum verſam eſſe, multa habere commoda è plurima oryza, è vino è palmis emiſſo, è fructibus vndequaque odoris, ex armen-

Regio terræ Barbazinæ.





tis paruarum boum, è gregibus caprarum, è multitudine auium, è magnis fluminibus è plurimis ſtagnis, è quibus magna piſcium abundantia oritur. Regem habere Anmoſam religione magnum, æquum, & pium, qui concubia nocte è lecto ſemper ſurgit, vnum adorat Numen Cœli, & aduenjente, & cadente poſtea luce hoc idem facit. Regnum tenere latiſſimum,multa,& magna ei oppida ſubeſſe, & Canſam primam Regni vrbem miro modo gubernare. Populus totus, exemplo Regis vnum Deum adorat, & finitimas, & remotas nationes grandi odio habet, eo quod plurima vbique numina colunt,ſumma toti genti meæ pietas,ſumma charitas, ac ob eam rem magna in tota regione miracula quotidie apparent, quæ totum populum Deo obligatiorem reddunt. Nemo exteræ gentis illuc accedit, qui non miras de toto eo populo laudes referat,qui plurimum non admiretur,tantum,in ea regione amorem,aduenas reperire. Obſeruat planè in Deo adorando antiquiſſima patris mei Bennaſſaris præcepta, Sancta, cuius effigies in templo meo ſculpta cum hoc monumento eſt.

Anmoſa. Rex religione magnus.

Cãſa prima Regni vrbs.

# BANNASSAAR BARBAZINÆ TERRAE ANTISTES.

Bannaſſaar Antiſtes terræ Barbazinæ.

O vos quecunque meæ gentes Deo ſacræ,ſiue mares, ſiue fęminę, Deus vos ad lógá terrã 'oſpitet.Surgite media nocte, pluuias populo vtiles orate, Hæc enim terra ſicca eſt, & ope planè diuina eget! O viri celebraturi, corpora è lecto tollite, ſummo mane Sancta Dei templa ieiuni adite, mundi ſacra facite, Deo ſupplicate, vt feram luem, duram peſtem, ſæua Cęli contagia à toto axe veſtro amoueat, populum ad ſe Cęli, & terræ, Pelagi Deum noſcendum inducat: Iter per alta aulæ ſuperæ ſydera ei aperiat! O viri Deo dicati! O fęminæ, Deus vos ſaluet, cum menſa vobis parabitur, ſupplices à Deo poſcite, vt bona





genti toti alimenta præſtet, omnem annonæ caritatem à toto populo auertat, eum ad beata regna Cæli, toto animo concupiſcenda trahat! O Sacerdotes, ipſe Deus ſalutem vobis ferat. Cum ſol in alto olympo habenas quadrigæ temperabit, templa adite, corpore per humum repando, Deum adorate precantes, vt omnia tempora terrę veſtræ ſecunda, omnia negotia toti populo proſpera currant, & ante omnia, vt toto animo, tota mente ſupremum patriæ æthereæ Regem metuant, caduca mundi regna ſpernant. Sempiternum habere domicilium in aulaætherea cupiant! O homines rei ſacræ obnoxij, Deus vos augeat, incolumes teneat, nocte iam appropinquante, preces in Cælum effundite, vt populi mode-

rato cibo, temperato epularum genere agãt, adeò vt ſæua libido, adeò vt duri veneris proteruæ ſtimuli, & multa vbique mala retrocedant, corpora nocte quieta ducant, iudicio adeò ſedato viuant, vt ſola de ſupremo throno Dei cura ſubeat, & de eo virtute, & meritis conſequendo cogitent! O fratres, qui ad ſacra ſummo Deo operanda à prima ętate veniſtis. Ipſe Deus opem vobis donet. Si hæc facietis in magno per terram veſtram exemplo viuetis, in grandi, per remotas nationes, nomine, licet omne planè cõſilium non de gloria terrena, non de fama per populos tenenda, ſed pro commodo animæ genti veſtrę afferendo eſſe debeat, quę omnia ęternum patrię veſtrę bonum, æternam mortalibus regionis veſtræ ſolatiũ





afferent, & cum ea rectitudine illis cõſuletis quod omnes Inferni poenas, quod omnia ſubterranei Tartari loca euitetis, & ſuperna regna, quoad Coeli erunt, qui ſemper erunt, duratura, conſequamini. Valete filij mei.

Et tandem cum in regione libera multum animo meo ſatisfeciſſem, & ab ea, & à Præſule patriæ Barbazinæ diſceſſi, & ad riuum fluuiũ delatus obuiam habui Ioannam magnum Dei Sacerdotem, qui multa mihi munera attulit, de quo alio à me loco dicendum eſt. Ac etiam ibi paulò poſt ad me venit Rabiam patriæ Calangeæ magnus Præſul vno tantum Sacerdote comitatus, qui Pontificatu à Rege eliminatus magna religionis, & ſanctimoniæ exempla vbique præbebat, de quo in ſequenti poſteà libro plura enarrabo, & poſtremò Aethiopia diu peragrata, cœpi magno Ciuitatis Sancti Dominici deſiderio moueri. Itaque conſtitui non vltrà progredi, cernebam enim multa Europæ Sydera nos amiſiſſe, & Septemtrionem noſtrum Oceano coniunctum eſſe, & Franciſcus Rebera familiaris meus, quem ob

*Ioannes magnus Sacerdos.*

*Rabias Præſul Calongeæ pauiæ.*

alta fidei, & naturæ munera ſummopere amabam,ne amatę Epiſcopatus mei ſedis, ne Hiſpaniæ,in qua omnia adoleſcentiæ,& iuuentæ meæ tempora,tunc cum quinque Reginas erudiueram, cucurreram, ne Italiæ, quæ nobile familię Geraldinæ genus in Amerina Vrbe dederat, obliuiſcerer, admonebat. Non tamen ob eam rem,cum ea quæ præſens vidi, & à magnis hominibus audiui, ſcripſerim, à labore ceſſabo; Sed ea, quæ relatu multorum accepi, quibus magna iure optimo,fides habenda eſt, quoque ſcribam.





# ALEXANDRI GERALDINI EPISCOPI.

## LIBER OCTAVVS.

MAIOR pars eorum hominum, qui de rebus humanis ſcripſere(Pater Beatiſſime) relatione clariſſimorum hominum, id fecere, cum enim hiſtoria omni parte vera, integra, & pura eſſe debeat, nihilque ei quod è vulgari, hominum genere prodeat,admiſceri,opus ſit, ego certè id ponere laboraui, quod à magnis Regibus, à magnis Æthiopiæ Principibus, à magnis variarum regionum Præſulibus audiui,itaque cum littora, aliaque omnia diligentiſſimè exararim, operæ præcium erit per interiora longè Regna ab Oceano diſcedere, quæ clari, & primarij ex eo axe, viri mihi renunciauere. Per interiora loca,quæ peregrè multum ſita ſunt (Pater

ter Beatiſſime ) multi lignea, multi lapidea, multi eburnea ſimulacra, ſub quadam figura rerum aetherearum adorant, multi priuata ſydera, multi terrena patriæ monſtra, multi nullos Deos eſſe credunt; omnia caſu regi, ingenio omnino nobili carent, & quod mirum eſt ipſi magnarum vrbium Antiſtites, ipſi Sacerdotes memoranda Cœli, & Syderum documenta habent. In omni littore Oceani, licet ij incolæ aliqua oppida teneant, generatim tamen per innumeros pagos, per innumeros vicos, per innumera paſſim mapalia viuunt, & hoc idem ſub longo littore, ſub longo in immenſum tractu vltra Zonam Torridam eſſe audiui: Per mediteranea loca, vt à me ad plenum commemorabitur maximæ vrbes, maxima oppida ſunt, inter quæ çitrà Zonam Torridam viginti dierum itinere ab Onzea Regione, vbi omne patriæ regimen penes mulieres eſt, Nanſea Ciuitas quattuor dierum itinere prægrandis ſuprà ſpacioſum ſtagnum, quod per quadringenta, & octoginta paſſuum millia eſt, ſe extendit, & plura per mediam vrbem flumina pertranſeunt. Rex eſt, qui ſe altiſſimi Dei nepotem appellat, eo quod cum auia Iguinéſa in ſeceſſu maximi Palatij ſola ageret, inopinato candidum pullũ Cameli, cum decore omni ani-

*Nanſea Ciuitas.*

*Rex altiſſimi Dei nepos. Iguinéſam Reginam Deus compreſſit verſus in forma Cameli.*

mali



mali anteponendo ad ſe venire conſpexit & cum eius conſpectu magnoperè oblectaretur, & tangendo eum adeò mitem eſſe miraretur, ille effigie ſtatim mutata, eam compreſſit, vndè natus eſt Mauaſienus Rex, qui multa cum Deo Patre ſuo colloquia ſæpe habebat, cuius nepos in præalto ſolij Regij pariete, hoc edictum ſculptum tenet.

*Mauaſienus Rex.*

IVGOMANVS REX SVMMI
DEI NEPOS
SOLI, ET LVNAE IVNCTVS
MAGNAM
CVM STELLIS PARTEM
HABENS.

O Populi, qui huc intratis, qui primùm me in alto ſolio ſedentem aſpicietis, ſubmittite, per humum, vultus, & toto corpore per terram iacente, manibus, & pedibus ad me adrepite, ne me reſpicite æterni, & immortalis Dei nepotem, reſpicite imam ſolij mei partem erecta

*Monumentum Iugomani ſuperbiæ plenum.*

vbi-

vbique voce, quae vultis, petite, aequitatem ſeruabo, excelſa enim origo ſummi Dei aequa eſt, pia eſt, & clemens. Indè retrocedentes pari, quo antea modo, huc veniſtis, ore, per imum ſolium meum verſo, quoad me videre poteritis, poſteà cum non poteritis, recto corpore, regali exite aede.

Eſt hæc Ciuitas per innumeras partes diuiſa, innumera patriæ fora, cum ſuo magiſtratu, innumera quoque templa habet, vno vniuſcuiuſque triennij die, vni parti populi attributo, quo in foro primario ad ſecundum milliare lato, cum ſuo magiſtratu conueniat, cum magna tubarum, tympanorum claſſicorum multitudine, cum varijs populis ſignis, vexillis, & admirabili rerum apparatu, indè ſublime templum intrat, cum incredibili in Deum honore, cum inenarrabili in patriam pietate, vnoquoque homine vultum ad Cœlum tenente, & tandem quique priuatim alta Deum voce orat, vt eam vrbem quotidie mage augeat, vt magnum toti populo augmentum donet, vt maioris con-

tinuò



tinuò, opes ei det, vt pueri, & puellę ad legitimam vſque ætatem, ad ſancta vſque tempora conubij caſti ſint, deinde cum magno per templum gemitu, cum triſti per altaria ſingultu, cum magno flumine lachrymarum mœſta ora irrigante Deum orant, vt crimina anteá commiſſa deleat, vt ſcelera antea patrata remittat, & vitam eo modo futuram temperet, vt quoad fieri poterit, omni in poſterum crimine ſe exuant, cum ipſe Deus ſit, cum ipſe pius, cum ipſe clemens gentem humanam omni malo ſubditam eſſe noſcat, & ſacrificio cum mira ſolemnitate peracto, magna paſſim donaria, per altos parietes ſuſpendunt, in hoc quoque templo prænobile Inonſę Pontificis ſimulacrum cum hiſce litteris in præalto marmore eſt.

## INONSA CALONGEÆ TERRÆ PRAESVL.

O pij Populi patriæ huius, quorum animæ ſubditæ mihi ſunt, deſinite (oro) effigiem Deo humanam Trahum cū filium.
tribuere, fugite quæſo tantum ſcelus admittere, tantum patrare nefas, excelſa quidem immenſi Dei Maie-

I ſtas,

ſtas, qua forma; qua effigie ſit, à nulla poteſt gente humana comprehendi; qui aliter credunt, crimen admittunt, purgandum nullis ſacris, nulla hominum prece; Si forma, il- *Fatua opinio.* le noſtra ageret, & eo, quo nos corpore agimus, minimè capax eſſet ad grandia adeò elementa temperanda, ad grandem adeò Cœli, terræ, & Pelagi molem apertè adminiſtrandam, ſi corpore gigantæo ſe extenderet, ſtolidus eſſet Deus, nec iudicio integro viueret; linquant ergo ignauæ gentes; linquant ſtulti Populi, & Plebs omnino ignara ea effingere, quæ non nouere; Deus *Deus incõprehenſibilis.* incomprehenſibilis eſt, nec vllo poteſt ingenio mortalium comprehendi, ſi enim humanæ gentes ea, quæ per orbem patent, cognoſcere minimè poſſunt, qua ratione pote-





runt, illam ſupernæ plagæ Diuinitatem penetrare? ſic ſapietis filij mei verſo per Cœlum corde, extento per æthera ſenſu, & iudicio Deum orate, qui æqua cum Populo humano pietate viuit, ea qua per omnes terras ſe clementia retegit, vos audiet, vos fouebit, vos omnino retinebit, relinquite cætera, filij mei.

Et decem dierum itinere, inter Orientem, & Zonam Torridã Logonſennea vrbs *Logonſenia Vrbs.* duorum dierum *itinere illuſtris eſt*, vt Ioannan magnæ famæ, & magni nominis Sacerdos apud Riuum *fluuium* mihi retulit, de quo mentionem *in fine* *Ioannan Sacerdos.* ſexti libri feci, in qua templum magnopere illuſtre, inclyta Baanaſaris Dei naturæ imago, præclarum Manallij Pontificis monumentum, cum hoc edicto, eſt. *Baanaſſarij Dei imago.*

O Incolæ Iogonſenneæ vrbis à me, nimium dilecti, nimium amati, vero naturæ Deo exhibete illi *Illuſtre edictum Manallij Pont.* vni cultum, qui ſolus omne Cœli, terræ, & maris regimen tenet, nam

alia omnia planè ſtulta ſunt, hic eſt, qui tanta per omnes gentes benignitate, tanta per omnes Terras æquitate, & virtute agit, qui vnicuique effigie humana viuenti partem genij ſui attribuit, & hinc eſt quod homines, multa Terræ, & Pelagi arcana percipiũt, hinc eſt, quod ũiui omnia penè ſydera altiſſimi Cœli, viuido ingenio tranſcendunt, & apertè noſcunt. Hinc ſæpe probatiſſimis, & ſanctiſſimis patriæ noſtræ hominibus pulcherrima effigie, ore vndique venerando ſe offert, & admiranda regioni noſtræ bona affert! O filij mei, planè credite nationes Aethiopiæ, quæ alia Deum forma, quam humana effingunt, amentes eſſe. Si enim alio vultu, quam humano ageret, monſtrum eſſet, quæ figura reptilium,

Bonum conſilium.





vel brutorum animalium Deo conueniens eſſe poſſet? ſi facie hominum non ageret; portẽtum ſe exſereret, & nihil cũ Diuinitate Ætherea commune teneret, quæ enim maieſtas alicui piſci, boui, equo, lupo, leoni, vel vrſo eſſe poſſet, quæ aliquid cum Deo Cœleſti ſimile habere queat? Itaque! O Populi! O Filij mei, ſiue in publica Deum pictura effingetis, ſiue in ęre, ſiue in marmore forma illum humana, & qua pulchriori poteritis, effingite, nec ab opinione Patrum noſtrorum antiqua, qui magno per finitimas, & remotas regiones nomine, ob præclaram ſapientiam egere, vllo modo diſcedite, & vos per Sacerdotes, per ſacra templorum altaria, in ipſo ſacrificio vnum nominate Deum naturę, & vos Populi

mei, alta vbique voce proclamate, vnum adorate Deum naturę, facite, quae ego dico, Filij mei, & omnia vobis, & Filijs veſtris ſecunda erunt.

Calongea Regio.
Rabbian Pont.

Nec longo ab hac patria ſpatio Calongea regio eſt, à qua Rabbian Pius Pontifex, & Deum timens, de quo in fine ſexti libri enarraui, à Siriene Rege eiectus, ad Riuum fluuium tetenderat, & biduo mecum eo loco fuerat. In hac regione Deum Cœli colunt eum ſolum, toto animo, & mente venerantur quem ATTEAN NASAMON linguæ Patriæ peculiari nuncupant. Illic Nabonnea Ciuitas magno populo inſignis eſt. Celebre Dei Cœli templum, & nobile antiqui numinis oraculum, quo tota patria gubernatur ibi etiã mos eſt, quod ſi Pontificem ritè electum contingat ira principis, vel odio populi à templo eliminari indè diſcedit, patriam relinquit, in perpetua ad remotas regiones peregrinatione, agit, nec reuocatus ad amatam templi ſedem redit, hunc populi ſæpe reuocauere, orantes, ne templum, ne populum, ne terram; quæ memorabili in eum amore erat, relinqueret, ne ſancta templi altaria, ne ſacrificia ſibi An-

Nabonnea Ciuitas.





tiſtiti attributa deſereret, ne cum dedecore dignitatis ſuæ, ipſe, qui cum magno Sacerdotum numero, cum magna populi frequentia in publicum præibat, per remota modò regna aliarum gentium, cum publico veluti contemptu ſolus progrediatur; quibus ille reſpondit, oportere ſe Deo parere, præſtare ſibi inanem vulgi fauorem, vanam populi auram fugere, quam ſummo Cœli Deo non placere; quo tempore cum Rex Sirien publico populi tumultu oriente, regno aufugeret, proceres regni vnà cum populo Ionam Calongeæ Terræ principem Regem optauere, & denuo pro Rabienne Põtifice miſere, qui dixit ſe nullo modo in optatam poſſe patriam remeare, nec tale in poſterum profanis gentibus, exemplum, velle relinquere, vt in ſanctos audeant Pontifices ſæuirè, & illud exilium læto animo tolerare, tamen vicem ſuam, & omnia quoque Iura Pontificalia exercendi Panniano homini ſanctitate, & religione inſigni attribuere, Deinde, cum omnia templi emolumenta ei mitterent, ipſe cum admirabili exemplo ea per egenos, & miſeros populos diuidebat, & ea ſolummodo reſeruabat, quæ ſibi, & vni tantum Sacerdoti ſufficiebant; magnum certè exemplum virtutis, & ſanctimoniæ ritè ęmulandę Pontificibus, &

Sanctum reſponſum.
Iona Rex.
Pannianus ſanctitate inſignis.
Sanctũ exẽplum.

ſacris gẽtibus:& ſub excelſo ex Alabaſtri-
te ſimulacro Dei Cœli hoc mãdatum erat
ab ore ſimulacri emiſſum,ea ætate, quã
multa in Cælo prodigia in Æthiopia viſa
ſunt.

Me verum Cœli Deum nullã
populorum ſecreta, nulla Regum
molimina latent, mihi enim abdi-
ta omnia, per mare, & terras loca
aperta patent, omnia hominum fa-
cta nota ſunt;ego ipſe, qui antiquiſ-
ſimo aliorum temporum ſęculo vi-
xi,ego cerno Reges, & populos ter-
rae Calongeae nullo in Pontifices
amore, nulla in ſacros homines re-
uerentia, agere, hoc publico edicto
ab ore meo iure dato,volo, mando,
& impero, vt ſi aliquis ex hoc po-
pulo aliquem Sacerdotem intere-
merit, à tota latè regione perpetuò
exulet;dimidia haereditate fiſco re-
ſeruata, & alia dimidia filijs adſcri-

Pia Dei mãdata contra eos qui Sacerdotes interficiunt.

pta:



pta: Edico; & iubeo, eum Regem,
qui Pontificem patriae benè,& ſan-
ctè inſtitutum confecerit, vel à ſe-
de Pontificali eiecerit à toto latè
regno depelli, à Regali dignitatẽ
omnino deponi,& liberos eius hae-
reditario maiorum ſceptro priuari,
& Regem exterae terrae ad Diade-
ma Calongeae Patriae recipiendum
à primatibus Regni, à publica vr-
bium legatione acciri. Decerno
etiam Populum, qui ſanctum Pa-
triae Antiſtitem impiè pepulerit,
peramando planè paſtore, colendo
aperte Pontifice, & patre quoad
ille viuet; ſpoliari, omnia templi
emolumenta antiſtiti exuli per le-
gatos mittere; Illum verò vagũ,
quoad ſupererit, viuere, vt ſcelerã
Populi Calongæi alijs vbique natio-
nibus, & Populis comperta fiant, ſi

Pœna in populos qui Pontificem confecerint.

verò

verò Populus Præſulem interfecerit, tunc ego mando ad centeſimum vſque annum regionem Calongeam omni Pontificum amplitudine carere, ſacra ſimplices Sacerdotes adminiſtrare, & Pontificem alienæ gentis, vno quoque triennio patriam totam pręluſtrare Calongeam, cui Populi duplicata, & maiora quam antea Præſuli ſuo emolumenta dependant, ſi verò Pontifex ob teſtata toti terræ maleficia in publico populorum odio viuet, tũc in vrbe Nabonnea publicum omniũ Sacerdotum Cõcilium coeat, in quo ſcelere Antiſtitis omnibus gentibus patefacto, cum ab omni Populi regimine amoueant, alium ei Pontificem ſufficiant pium, & bonum, & qui magno in me Deum Cœli timore peragat, & ſi ſecus fiet,

Sancta decreta.

ego



ego peſtilentiam, bella, famem, quæ terram, & omnes latè mortales perdant, mittam, & furor meus ſupra populum mihi dicatum excandeſcet, nam ego Deus pius, mitis, clemens, & cum opus eſt, fortis, iracundia plenus, & terribilis ſum.

Et vt ad Æthiopiam redeam, ea tota Elephantos vndique prælaltos, minuta boũm armenta, camelos, greges optimarum caprarum tenet, multi populi nullas carnes edunt, lacte, oryza, ouis, leguminibus, & priuatis patriæ fructibus nutriuntur. Dogma æmulantur Pithagoreũ ſine vllo doctore. Multi circumciduntur, nec vllam antiqui Moyſis legem, nec vllum Mahumeti nomen audiuere; multi matrimonia obſeruant, & magnam in matrimonio religionem eſſe credunt, multi ritu ferarum viuunt, adeò quod nullam liberorum notitiam tenent, nec filios, niſi mares norunt, habent maxima flumina, latiſſima ſtagna, longiſſima per admirandum tractum plana, diffuſas in immenſum valles, altiſſimos montes niue plenos, qui Cœlum contingere videntur viridantia prata, non tamen ea magnitudine, nec ea

Multi Populi Aethiopię non comedũt carnem.

pa-

patriæ irrigatione,qua Æthiopes, qui ſub Ægypto, & Indi,qui ſub Oriente ſunt, habent: immenſa omni loco nemora, quæ mollem in folijs arborum lanam gignunt, tamen ipſi montes, ipſa plana, ipſæ valles oryza plenæ ſunt,quod eduliũ toti Æthiopiæ peculiare eſt. Regio tota vberrima, licet Auguſto, Septembri, & Octobri tantum menſe in ea pluat,& reliquo nouem menſium ordine nihil in ea pluat.

Oriza peculiare Aethiopię eduliũ. Auguſto Septẽbri Octobri tantum menſe pluit.

ALE-



# ALEXANDRI GERALDINI EPISCOPI.

## LIBER NONVS.

MEMINI (Pater Beatiſſime) me à principio deſcriptionis Æthiopiæ dixiſſe, me magna debere fugere volumina librorum, in quibus animi legentium offenduntur,& ea minimè memoria retinentur, quæ operæ precium eſt; breues enim libri voluptatem haud mediocrem ferunt, magni verò grande faſtidium quandoque præbent. Itaque(Pater Beatiſſime) ab inſtituto minimè meo diſcedendum eſt, qui & de ſitu Æthiopiæ,& de Zona Torrida, quo breuiori modo, & quo maiori etiam ſtudio potero, planè referam: Æthiopia, quæ ſub Africa eſt (Sanctiſſime Pater) nomen cepit ab Æthiopo Vulcani filio, hæc à flumine Senega, quod ponè Atlantem

Deſcriptio Aethiopiæ.

eſt,

eſt, cum longiſſimo vltrà Zonam Torridam ſpacio ad Antipodes deſcendit, & à Promontorio Sperinoceras cum latiſſimo multarum nationum tractu, in mare Erythręum ſe effundit, & quod contra Ptolomęum, Aratum, & reliquos, qui de Coſmographia ſcripſere, eſt, & Zona Torrida, & omnes terræ à ſole exuſtæ, à plurimis, & maximis populis cultæ ſunt, hæc forma hemicycli paulò oblongior, per Antipodes non cum acuto, ſed obtuſo aliquantulum exitu in Orientem noſtrum, qui apud Antipodes Occidens eſt; ſe extendit. Zona Torrida in ſolo Æthiopiæ intemperatiſſima eſt, in multis verò partibus terræ humanæ temperata, in ea multi Solem orāt, vt à maximo terram eorum calore releuet; multi eum execrantur immanem toti regioni; multi Lunā pro ſupremo numine Cœli venerantur, & tenent, eò quod deſideratum nocte ſolamen humidi humoris, fert; agricolæ in multis partibus per loca concaua, per antra, per vmbroſa patriæ loca die latent, nocte per campos opera ruſtica exercent. Multi Septemtrionem clamant Deum, eum Æthiopiæ numen vocant, & licet nullum videant Septemtrionem, aliquam tamen auram indè capiunt. Verum quod ego obſtupeſco, eſt, quod magna adeò muliebri genituræ fęcunditas

Aethiopes in multis partibus no ctė opera ruſticorum exercent.

ſub



ſub Cęlo vbique excandeſcente ſit. Æthiopes enim Sole patriam eorum exuberante totis radijs, & recto orbe penetrante capita hominum, & ſanguinem è corde ad ſummam cutem euocante, ſanguineo colore, & vultu violæ ſuboſcuro agunt. Cum verò per Europam, & Aſiam aduehuntur, aere Cœli noſtri ſanguinem eorum refrigerante, & vigorem infra cutem remitten te nigri omnino ſunt, plures ſub Zona torrida magni Imperatores ſunt, qui ſe Monarcas appellant, multi Reges, multi Principes, libera multa oppida, multæ paſſim vrbes, & magni populi. Verum quoniam omnia è virgis luto illitis, è cœno, è materia erecta ſunt, triſti vbique effigie agunt, & inter multas vrbes ingreſſu eius terræ Naazabea eſt maxima ciuitas, in qua nobile omni tempore emporium eſt, ad quod innumeranda è varijs multitudo confluit regionibus, etiam ſublime magnum templum è grandibus tignis perpulchrè fabre factis, & ſimulachrum Deæ Lunę è candidiſſimo Alabaſtrite, quæ comas rufas, & multo auro illitas, ad cingulum vſque tenet, & Lunam in duo cornua protenſam in alto vertice gerit, & eam candore Cœleſti pulchram eo modo depingunt, quo in alto Cœlo euntem vident, cum cæteros Deos per templa, & altaria

Res miræ.

Magni Imperatores ſub Zona Torrida.

Naazabea Vrbs.

Simulacrū Deæ Lunæ.

ni-

nigros, vel rubeos effingant, & hæc verba in marmore ſculpta habet.

Oraculum Deæ Lunæ.

O Incolæ Zonæ Torridæ, me ſolam habete Deam, me ſolum tenete numen, ego omnia toti genti alimenta humore meo do. Ego omnia animalibus veſtris nutrimenta præbeo; niſi numen meum præſto eſſet, iam pridem tota hæc terra calore Phœbæo exuſta iaceret; propterea aſſidua mihi ſacra facite! O Senes! O Iuuenes! O puellæ in quocunque animi fluctu, in quocunque æſtu mentis veſtræ venite ad me, lætabor ego de aduentu populi mei, omni ego fletu vos leuabo.

Hæc verba ab antiquo ſimulachro eiuſdem Deæ emiſſa, in eadem vrbe ſunt, quæ poſteri ſub præſenti imagine poſuere. in eodem etiam templo dextera parte veneranda antiquiſſimi Iguini Præſulis effigies eſt cum characteribus Zonæ Torridæ lõgè diuerſis ab elementis terræ Æthiopiæ, &

Iguinus Præſul.





quod mirum eſt, mitram in vertice tenet eo modo, quo noſtra eſt, non tamen vlla parte diuiſa, & reliqui item Pontifices nobilem gerunt mitram è candido bombili. Litteræ hæ ſunt.

Præſules Aethiopiæ mitram gerunt.

O Filij mei, amate Patriam licet laborantem nimio ſolis ardore, Filij mei (ſi Patres veſtri) qui à primo mũdi initio eam coluere, nouiſſent hanc patriam iure relinquendam eſſe, à primo eam ſæculo reliquiſſent. Inſtituta maiorum meritò à nepotibus ſeruanda ſunt illic; hunc axem orbis elegere, & hunc tandem hæreditarium vobis reliquere! O Filij mei nihil natali ſolo pulchrius, nihil antiqua Patria dulcius. Addo, quod ſi ad alias trãſmigratis ſedes, illæ vobis noxiæ eſſent, veluti noſtri calores, remotis omnibus aliarum terrarum gentibus, & Populis eſſent. Addo, quod ſi ad

Mira exhortatio ne patriam deſerant.

alios mundi cardines vos transfer-
retis, illi teſtato vitæ veſtræ exitio
forent, & Cœli intemperie, & ani-
mo Popularium hoſtili, qui vos alio
colore, & alijs inſtitutionibus agen-
tes, in ſeruitutem ponerent. Filij
mei hæc Patria vobis ſalubris eſt,
ideò eam colite, eam omni ſtudio
retinete, & credite mihi Iguino Pa-
triæ veſtræ Paſtori, & fidem date
mihi Patri veſtro, qui incredibili in
vos amore ago.

Ego viſo conſilio Iguini Epiſcopi ſæpe
mecum cogitaui, quo ego amore in
multas Hiſpaniæ Vrbes eſſe debeo, quæ
toto adoleſcentię, & iuuentæ tempore me
nutriuere; quo in Italiam affectu, quæ ter-
Laudes Romanę vrbis. ra omni parte beata eſt. Iure igitur Ro-
ma olim rerum domina, quæ latum in to-
to orbe Imperium tenuit, quæ leges rectè,
& ſanctè viuendi toti latè genti humanæ
dedit, quę nunc earum gentium caput eſt,
quæ verum Chriſti nomen adorant, me
nimium mouet. Iure igitur nobile Latij
Alba. decus, ſub quo Cœlo Alba Troianæ gentis

opus



opus fuit, vbi Dardanij Reges alta Æneæ,
& Aſcanij origo ad trecenteſimum, & tri-
ceſimum quartum planè annum nobile La
tinæ Terræ ſceptrum tenuere, ab Æqui-
noctiali mundi plaga, in qua præſulago
me reuocant; Iure ſublime Heſperiæ ter
ræ nomen me delectat, quę tantò nobilior
Zona Torrida eſt, quantò ipſæ alti æthe
rei Cœli ſedes toto mortalium hominum
orbe nobiliores ſunt. Poſſent aliqui ſub-
dere ipſa Æthiopiæ marmora antiqua, ip
ſa itidem monumenta, ipſa Præſulum edi
cta, ipſa Regum decreta, varia ipſa ele-
mentorum genera tibi cordi ſunt. his ego Antiquitatum indagator.
reſpondeo, me omni gentium antiquita-
te oblectari, tamen longè magis, ipſa ve-
terum Quiritum, monumenta, in quibus
altum prudentiæ columen, ſublime ſapien
tiæ faſtigium apparet, iucunda mihi ſunt;
longè magis antiquæ Dictatorum figuræ,
antiqua Conſulum, & Imperatorum ſimu Simulacra Imperatorũ delectant.
lacra me mouent, in quibus nobile illud
ſæculi vetuſti ornamentum ſe aperit, in
quibus teſtata in toto orbe bella, in qui-
bus memoranda antiqui ſæculi geſta, &
ſublime Patriæ Latinæ decus commemo-
ratur, longè magis ipſi triumphantium Triumphantium arcus.
arcus, qui in vrbe ſunt, antiquo pleni ſplen
dore, ipſa Theatra, ipſa Romani ſæculi Theatra.
ædificia, quæ ipſum latè Cœlum memora-



bili

bili veterum dignitate, & amplitudine æquauere, longè magis ipſa per Europam, & Aſiam marmora, præclaro principum noſtrorum nomine plena pectori meo hærent; & quod ego vehementer miror, eſt quod ipſi Zonæ Torridæ populi ſe gẽtium omnium nobiliſſimos eſſe iactant, nec quemquam, niſi genere nobilem in pretio habent, veluti Scythæ ſub Septemtrione vagi, qui excelſa maiorum origine omnes in toto orbe mortales anteire ſe affirmãt, veluti Germani, Galli, & cæteræ per Orientem, & Occidentem, nationes, quæ omnem in illuſtri nobilitate beatitudinem ponunt, & ego obſtupeo Italiam non eo modo eam magnifacere, veluti reliquæ vbique regiones faciunt, & licet ego primam nobilitatem in virtute ſitam eſſe putem, non tamen ob eam rem celebri, & ſpectato maiorum genere lætari, niſi pulchrum eſſe exiſtimo. In nobilitate enim commendata animi magnitudo, ſancta pietas, boni mores, & laudata vbique fides plerumque ſubeſt: Itaque qui ea carebunt, ſi clari, ſi ingenio magno erunt, cenſeo eam vndequaque conquirendam, & nobile, & inclytum á magna gente genus vndequaque effingendũ eſſe. Sed ſi omnes populos Zonæ Torridæ ſcribere cuperem, ſi omnes Reges, & liberas gentes hiſce

Populi Zonæ Torridæ ſe omnium nobiliſſimos iactãt.

Italia non magni facit nobilitatem vt aliæ nationes.





ego libris amplecti, longo, & immenſo volumine, & lõgo multum tempore egerem. Sed quoniam omnes vrbes, quæ plurimæ, & maximæ ſunt, omnia Oppida, omnes vici, omnes pagi è materia luto illita ſunt, vna planè facie, vno ore, vna planè forma, tota ea mundi pars agit. Itaque non eſt opus priuatim aliquid de ea ſcribere, cum in ipſa clarorum hominum meditatione apertè, quæ ipſa ſit, videri queat, altiſſimi montes, maxima flumina, maxima plana in ea ſunt, multi populi ipſa magni pelagi numina adorant, qui ſub alio ab eis nomine, quam à nobis recenſentur, multi ea ſidera, quæ ventos, quæ pluuias, & quæ magnas populis, & regionibus tempeſtates ſolent inducere. Verum de Gannaea vrbe ob magnitudinem eius aliquid dicendum eſt. Hæc nonageſimo ab vrbe Naazabea milliario Auſtrũ verſus eſt, in qua quadriennio iam exacto, luſtro facto quadringenta, & octoginta, & duo hominum millia reperta ſunt, qui in bellum prodire poterant, præter ſenes, pueros, qui ad bellica munera planè exercenda, inhabiles erant. Quæ vrbs in libertate poſita quatuor Antiſtites habet illuſtri mitra inſignitos, penes quos totum Reip. regimen communi nobilium, & populi voto ſubeſt, qui ſacra, & profana cum

Gannaea maxima vrbs.

Naazabea Vrbs quatuor Antiſtites habet.

admirabili æquitate adminiſtrant, qui etiam, vt maiori omnia conſilio fiant, trecentos è gente profana Senatores in collegio eorum, tenent, ij Pontifices quattuor primaria in ea vrbe templa tenent, & totidem palatia longè diuiſa è grandibus tignis, & è præduro robore erecta in eminenti patriæ loco habent, cætera omnia ædificia è virgis, è luto facta ſunt, tria per eam flumina tranſeunt, quæ miram toti terræ vbertatem reddunt, per maiora omnia, & minora patriæ templa nobile magni Dei Oceani ſimulacrum in primo altari tenent, & hoc ſolum numen colunt, quod dextera nauem velis retentam, ſiniſtra tridentem manu elatum tenet, ſtellam verò, qua puppes reguntur, & lunam fronte bicorni aduncam antè ſe habet, omni quoque nouilunio per eam vrbem redeunte pueri, & puellæ cum longo ordine ad loca magno Deo Oceano ſacra peragunt, orantes altis vocibus, vt nubes grandi aquarum multitudine compleat, quæ radiantia Phœbi lumina operiant, totam planè gentem, à nimio calore recreent, & pluuias toti patriæ ſalubres emittant, reliqui ſenes, & iuuenes cum magna ad templum religione tendunt. Cum verò ipſi Pontifices celebrant, quod quinquies in anno ſolemni patriæ tempore faciũt, cum

Magnum Oceani ſimulacrũ.

pri-



primaria templa tantam Ciuium multitudinem non capiant per altiſſima templorum fora ſacris operantur, quo ſenes, & iuuenes, pueri, & puellę cum pietate minimè credēda ad numen pelagi concurrunt, nocte qualibet concubia ſinguli e ſtrato ſurgunt, crimina in luce commiſſa cum grandi gemitu, cum duro ſingultu, cum multis lacrymis, ipſi magno Oceani Deo fatentur, Sacerdotes nulla connubia ineunt in continua per populum caſtitate viuunt, decies nocte, & die per ſpacia à ſacris Pontificibus conſtituta pro tota gente orant, omnia à populo diſſidia, omnia à tota regione odia tollunt, vrbem totam, & finitima vbique oppida in pace tenent, oracula à Deo pelagi emiſſa, ex incredibili Zonæ Torridæ antiquitate hęc ſunt.

Magna Populi religio.

O Pontifices in alto Patriæ loco poſiti! O Sacerdotes purè electi! O homines ſacris initiati viuite perpetuò caſti, viuite apertè pudici; alioquin parua vitæ tēpora vobis erunt, innumerabilia vobis incommoda obuenient. Quò magis ſecura vi-

Oraculum Dei Pelagi antiquiſſimum.

 ta

ta viuetis, eo magis exitialia vobis mala carrent, melius erat in profano hominum ordine vos manere, quam ſanctum Dei veſtri locum non rectè occupare; tantò meliores eſſe debetis, quantò in maiori Populũ veſtrum labore eſſe ſpectatis, ſub intolerando ardore Zonæ Torridæ, ſub ſole nimium ſæuiente, ideò primarium in tota regione locum habetis, vt terram, & populum vobis cõmiſſum iuuetis. Cum mihi ſacra facietis, orate numen meum, vt lunam Deam vobis amicam faciam, nam ego eam Deam die, & nocte, & omni quoque tempore ſequor, & eam habeo patronã inde enim fluxus, & refluxus in omni littore meo ſunt, inde luna nubibus tecta, magnæ per mare tempeſtates oriuntur, fulgura, tur-





bines, & venti, inde multa per terras mala ſuccedunt. Volo prætereà, vt Luna nouiter redeunte, pueri integri, puellæ intactæ meum adeant templum cum grandi gemitu precantes, vt ego patrum veſtrorum paſtor, ego regionis veſtræ rector Lunari numini coniungar, ad ingentia toti patriæ commoda ferenda, adeò, vt nubibus imbre marino imbutis, omnia toti genti veſtræ proſpera, omnia toti terræ veſtræ ſecunda ſe retegant, frigore, & pluuia totum hunc axem refouente, nam ego preces gentium caſtarum libenter audio, nam ego ſancta hominum, & mulierum uota ſerena fronte auſculto, & illis læto animo ſubuenio, mando, & impero ſenes, & iuuenes ædem mihi dicatam ieiunos adire, corpore aqua ui-

Preces caſtarum gentiũ libenter à Deo audiũtur.

ua anteà dilutos omni crimine è toto corde expurgato ante altaria ſtare, ſubmiſſa uoce preces effundere, ne Sacerdoté alta uoce Deum orantem impediant, ne ſancta templi officia perturbent, Dum uerò in alto ſanctæ ædis altari rei diuiuæ operabuntur, toti populo edico, ut demiſſo per ſolum lumine corpore per terram repando cum gemitu, & lacrymis orare, quin etiam ueto, & prohibeo aliquem profanum eam partem ingredi, in qua ſedilia Sacerdotum laudes mihi Deo ueſtro canentium ſunt, ſed plebem totam ab hominibus ſacris ſeparatam agere, ſi ea, quæ mando non feceritis, maxima per patriam, & per populum meum damna ego mittam.





# ALEXANDRI GERALDINI EPISCOPI.

## LIBER DECIMVS.

CVM ego totum Zonæ Torridæ axem, eo modo aperuerim (Sanctiſſime Pater) vt manifeſtam totius eius terrę imaginem altis ingenijs reliquerim, adeò vt omnia retecta, omnia plane clara in eo vbique cardine proſpici queant; adeò vt nihil in ea illuſtres homines latere vllo modo poſſit, ad alias longè, & latè regiones progrediendum eſt, in partibus mediterraneis, tam citra, quam vltra Zonam Torridam (Pater Beatiſſime) ſuprà maxima patrię flumina vrbes quatuor, & quinque dierum itinere pręgrandes reperiuntur, quod multiplici Æthiopum, & Luſitanorum teſtimonio probatum eſt, quę vnoquoque quinquennio per regionem corũ

reccurrente, luſtrum in tota patria eorum faciunt, & ſi populum eo modo auctum inueniunt, quo cupiunt, multa per totam gentem ſacrificia, cum publico populorum gaudio ęterno, & immortali Deo ſoluunt; & ſi imminutum omnes populi intra priuatos parietes cum gemitu, ſingultu, & magno etiam dolore triduo latent, mox ſacra quędam ad eam rem conſtituta celebrant. In illis vrbibus latiſſima fora, ampliſſimę Primorum ędes, maxima templa ſunt, ipſi Reges ædificia in modum vrbium ſtructa, cum innumerabili familiarium multitudine, cum admirabili fortiſſimorum hominum pręſidio tenent, qui iaculis, ſagittis, lãceis, & vario armorũ genere in tutela eorum ſunt, cum verò publica iura reddunt, in primario vrbium foro in altiſſimo ſuprà populum ſolio reſident, è quibus aliqui toto corpore eorum minio illiti ad ſimilitudinem Cœli ętherei, diuinum veluti numen populo ſe aperiunt. Quo tempore magni acerui capitum eorum, qui deliquere ante Regem iacent, poſteà cum ſolemni per populum ritu feruntur in pręalta ſede crati coniunctiſſimarũ tabularum ſupra poſita, quam innumeri Æthiopes ſupra capita eorum gerunt, toti palàm genti ſe oſtendunt pręcone alta voce proclamante.

*Aedificia Regum.*

*Reges Aethiopiæ minio illiniuntur.*

*Elatio Regum Aethiopiæ.*

O Po-



O Populi retrocedite, longè abite, ecce Rex noſter, ecce omne patriæ bonum venit, eum, quem Deo honorẽ daretis tranſeunti per gentes humanas, eum ei date; nam locum ſummi Dei gerit! O Populi pectore toto per terram, extenſo manete, quoad longè pertranſerit, ipſe quidem ſe mortalem eſſe hominem noſcit, tamen pro æquitate per Populos adminiſtranda vicem Dei tenet. Itaque hos ſibi honores ex loco dari vult, ſi quis tamen pro iuſtitia à Rege petenda huc accedere cupiet, adhęreat, ſupplici enim vultu eam illico aſſequetur.

*Superbum mandatum.*

Multi Reges ſimplici ſago induti, cum Dyademate, ſceptro, multis per nuda brachia lapillis, præcedente tubarum, & tympanorum ſtrepitu in candido camelo ferũtur partim eorum Elephanto cum thiara,

*Habitus aliquorum Regum cum in publicum prodeunt.*

& ſce-

& ſceptro, toto corpore nudo vnionibus, & margaritis, pleno, partim ritu triumphantium in ſublimi curru ab Elephantis tracto, partim hominum humeris portantur, Pudenda pulchris, & auratis velamentis celant, partim omnia apertè nuda tenent, partim in nullo honore, & in ea, qua populi fortuna, vel paulò ſuprà viuunt; mira populorum obſeruantia in Reges, vbique ſe referant, nudi, genibus flexis, per ſolum ſtrati, Regem adeunt, modò humum, modò arenam per capita, per terga, per omnia demùm membra iaciendo, quaſi terra, quaſi Cœlum comparatione Regum ſint; mira Regum elatio, mira ſuperbia, & faſtus; toruo enim, & terribili ſe vultu in eos conuertunt, & duobus tantum verbis ad aliquem remittunt.

*Quo modo Populi Reges adeant.*

*Superbia Regum Aethiopiæ.*

Reges Æthiopiæ timeri à plebe volunt nõ amari, & populi ea planè acerbitate egẽt, vt in debito Regem eorum honore habeant, cum verò in bellum prodeunt, ſæpe videre decies centena hominum millia eos in aciem educere, & nunquam conſpexere aliquem à Rege deficere, ſed memorabili omni tempore fide eſſe; ſed cur ego decies centena, cum vicies centena, & longè plura millia in bellum educant; nec quiſpiam miretur eas hominum multitudines, nam multi Reges Æthiopum maxi-

*Maximi Regum exercitus.*

mi



mi ſunt, & conſiderata ſphæræ imagine non minorem partem mundi gentes nigræ, quam albæ tenent; pone Zonam Torridam ducenteſimo, & triceſimo quarto ab ea milliario Gallongea vrbs maxima eſt, multo auro, multis piſcibus, multa terræ fertilitate beata, per medium cuius maximum flumen labitur, magnæ in montibus auri fodinæ ſunt, maxima plana, latiſſima ſtagna, multi pagi, multi vici, multa paſſim oppida per vicina vbique loca ſe retendũt.

*Gallongea Vrbs.*

Caput Regni Cannoſei eſt in rebus ſacris Pontifex, Gallongeus mitra vtitur, in profanis illuſtri vbique corona, hoc tantum malum in ea vrbe eſt, quod vnoquoque triennio, quinquennio, vel ſeptennio acies in aere armatæ apparent, quæ maxima per totum Cœlum prælia committunt cum ingenti ſtrepitu, cum horribili ſonitu, cum triſtibus palàm vocibus, quæ à militibus, quæ à laruis vbique certantibus emittuntur, quo tempore homines, & fœminæ cum triſti vultu, cum pallida, & meſta effigie, cum horrore minimè recenſendo ad ſacra patriæ templa confugiunt, tunc Sacerdotes toto populo per loca ſacra relicto, cum hoc mandato, vt preces Dijs patriæ effundant, ipſi in eo loco vbi à nemine queant audiri, cœunt, & coniuratione antiquiſſimi patris Conorbani in

*Maxime ra.*

me-

medium educta alta quantum voce datur inferna agmina, ſtygias omni parte cohortes coniurant, vt à tota ea regione, à toto eo Cœlo repente recedant,ad alias longè terras tranſmigrent, quæ cum maiori, quam anteà ſtrepitu, modo facies eorum retegendo, modo operiendo, alij effigie nigra, & triſti, alij vultu albo, & mœſto, alij fronte vbique efferata, alii miti, alij ore hilari, alij lacrymoſo, alij aſpectu vndique minaci indè diſcedunt. Solebant etiam crudeles illi ſpiritus immanes hominum Lemures antiquo maiorũ ſæculo per omnes populi lares, per omnia principum atria oberrare,& nunc media nocte, & nunc in luce horrendos emittere eiulatus,nũc incõpoſitos effũdere riſus &, nunc ſole per mediũ Cœlũ oberrante, nulla hominum effigie ſe exerente, modò alta voce, modò ſubmiſſa, modò rauco tono ſtupendas inopinato minas, vel tremendos retegere hiatus, quibus grauidæ mulieres fœtum, eijciebant, quibus multi pueri ad longa tempora attoniti remanebant, quæ omnia, vt referunt, magni Conorbani precibus ceſſauere, præter illud quod dimicantes per Cœlum acies per definita tempora, eo modo, quo dixi, remanſere. Illæ enim preces, quibus à tota regione pelluntur magno, & ſancto præſule Co-

Res notandæ.

nor-



norbano Sacerdotibus patriæ relictæ ſunt, quas nemo profanorum hominũ ſcire poteſt, & ſi qui ſacerdotes eas reuelant, cum teſtato per totam gentem miraculo,& qui eas retegunt,& quibus illæ reteguntur ante diem tertium occumbunt, in vrbe Gallonea nobile tẽplum Dijs patriæ dicatum eſt, & in eo præclara Conorbani Antiſtitis imago cum elementis litterarum multum diuerſis à characteribus Zonæ Torridæ.

## CONORBANVS REX, ET TERRÆ CANONSEÆ PRÆSVL.

O Filij ſupra omnem modum à me culti! O gentes mihi peculiares! O ciues omni tempore cariores vita mea, ego Conorbanus pater, & Præſul morte ſublatus, per omnia Cœli, & Terræ ſæcula longè magis quam anteà viuens colam vos,Deos patriæ antiquos tenetis, qui ab vno pendent principio, qui è meris ho-

L mi-

Dij ex hominibus facti.

minibus terræ veſtræ Dij ob merita facti ſunt, illis antiqua præbete ſacra, nihil addendo, nihil diminuendo, gaudent enim Dij veſtri maiorum pietate, gaudent innocentia, gaudent laudanda aliorum ſæculorum ſimplicitate, quorum nulla extat memoria, & illæ peſtes, illa mala, illa incommoda, quæ meam longè ante ſæcula in hac regione extitere, non ſemper extitere; ſed poſtquam dura nimium crimina remotiſſima olim ætate inualuere, vt poſteri piè, & ſanctè viuerent, Dij patriæ veſtræ magna adeò damna ea ratione miſere, vt magnam eorum memoriam populi tenerẽt, ab omni planè ſcelere temperarent, multa cura plagæ æthereæ eſſet, & magnus terræ humanæ cõtemptus per animas eorum obreperet, eo





quod ipſis populis nimia patriæ felicitate, nimia auri mole, nimijs opibus, è redundanti epularum genere, magna libidinum incendia, magna animi elatio, immoderatus faſtus, ingentes iræ, maior in dies cupido habendi, maior honorum auiditas, maior per populum poteſtas, & ante omnia immanis Deorum contemptus oritur; Itaque filij mei pro re comperta habete, Deos veſtros in interiori animi parte vos habere, ideò agite gratias eis immortales, ideò grati eſtote, qui vos cordi fixos tenuerint, vt vos omni parte pios, bonos, puros, & ſanctos redderent! O Filij mei, cum ego Conorbanus adhuc pater, & Pontifex veſter viuerem inter Deos relatus communi Deorum veſtrorum voluntate fui, & nunc in alto illo Cœ-

li axe vobiſcum ſum, vbi ſemper actiones vitę veſtræ per ſancta opera, ad ſácta Deorú veſtigia ponam, ac omni patriam veſtram labore liberabo, illæ tamen voces, quæ per domicilia, quondam veſtra erant, modò non ſunt, illæ acies, quæ cum magno per aera ſtrepitu, & ſonitu vagantur, quæ vos putatis inferna malorum ſpirituum agmina eſſe, erratis, non ſunt animæ hominum, qui eſſe deſiere, ſunt quæ nec in Cœlo, nec in Inferno receptæ per ipſum ad mille, ad quingentos, ad centum annos aerem vagantur, vt magna, vel mediocria eorum ſcelera fuere, donec longo eo tempore errore ſe purgarint, non enim poterant in Cœlo admitti, niſi omni vitæ præteritæ crimine antè expiato, nec magna adeò cum viue-

Stolidæ opiniones.





rent ſcelera eorum fuere, propter quæ deberét perpetuò in infernum retrudi, ac eo modo illæ cum magno Deorum iudicio, per vrbes, per oppida, per vicos, per pagos, per loca à gente mortali culta, ad terrorem populo humano inferendum huc, & illuc properant, nullum alicui homini malum inferre queunt, innoxiæ omninò ſunt, carmen vero, quo Sacerdotes vtuntur ad eas effigies à toto aere pellendas à me impetratum à Dijs eſt, quod nec à populo profano ſciri poteſt, nec ab ordine Sacerdotum alicui, niſi homini ſacro, detegi; quod ſi ſecus fieret, magnum vbique exitium obueniret.

Propterea ſexcenteſimo, & ſeptuageſimo ab vrbe Gallonea lapide Ammoſenna magna Ciuitas eſt, in qua Ianob maximus Rex eſt, qui multas vrbes, multa oppida,

Ammoſenna Ciuitas. Ianob Rex.

Rongoonus Præſul.

& multa quoque Regna Antarcticon verſus habet, & in ea etiam vrbe Pontifex eſt alba mitra inſignitus nomine Rongoonus, cuius conſilio per eas regiones diuinæ vbique res fiunt, nec Rex quippiam, niſi adhibito anteà aſſenſu huius magni viri facit. Eſt prætereà per loca huius patriç remota, per altos montium receſſus, quoddam genus Philoſophorum, quod in aſſidua rerum diuinarum meditatione agit; ij ſacri viri ſunt, qui omnem in noſcendo Deo curam ponunt, minimi cibi, potus aqua, omnem à ſe Venerem tollunt frigidis quibuſdam herbis, & quodam po uli genere ad libidinem hominum omnino extinguendam facto, ieiunia ad triduum ſæpè ducunt, magna cum Deo colloquia post multas preces habent, diuino ſermone refecti Cœlum ſibi apertum vident, ij Deum effingunt effigie, quæ omnem humanæ gentis formam excedit, quæ nulla poteſt ratione à populo mortali comprehendi; ornamenta eius nullo queunt iudicio penetrari. Nunc referunt totum eſſe pietatem, totum eſſe ſanctitatem, clementiam, virtutem, humanitatem, & magnificentiam, & nunc eumdem eſſe terribilem, & ad crimina, per orbem punienda, neminem habere parem. Volunt inſuper hunc Deum mortalia curare, & ab altiſſi-

Miri Philoſophi.





tiſſimo illo maximi Cœli ſolio, Solem, Lunam, & reliqua, per totum inane ſydera eo modo conſtituta habere, & certa quadam lege, vt nihil in illis prouidendum magis ſit. Orbem verò in vltima elementorum parte aere circundatum, vna cum magno mari manere, volunt quoque eum hominum curſus ſpectare, & bona, & ſancta eorum vita plurimum oblectari. Qui etiam hunc Deum innumeros habere miniſtros, qui omnia humanarum gentium corda per orbem totum tranſcendunt, & tandem morte adueniente, animam corpore exutam ab eo miniſtro, qui eum in tutela tenuerat Oſunnæ aulæ ſupernæ præfecto præſentari, qui compenſato virtutum, ac ſcelerum aceruo, ſi eam dignam ſede Cœleſti comperit, antè altiſſimum Dei thronum hilari ore eam adducit, qui ſerena fronte, qui læta vbique facie, qui vultu maieſtate pleno, & ſupremo Cœli Rege digno, ad loca perpetuo decore refuſa, ad loca incredibili gaudio feſta, ad regna ſempiterno bono dotata relegat; animæ verò eorum, qui omninò mali fuere, turbæ infernali, quæ metuendo ibi ore, quæ tremenda ibi effigie præſtò eſt, attribuit, & tunc cateruæ Stygiæ, fronte omni parte exaſperata, & vultu adeò truculento, vt nihil eo modo eſſe queat, eas

ad æternas pœnas,ad æternas tenebras,ad æterna ſub profundo Tartaro mala comprehendunt,innumerabilia tormentorum genera in ea vaſta Tartari voragine ſunt, quæ veluti cruda hominum ſcelera fuere, ita miſeras animas torquent,& macerant; animabus verò eorũ, qui nec boni,nec integrè mali extitere, vt omni planè labe, exutæ,omni peccato liberę Cœlum poſteà ingrediantur, longi per aerem errores, longi per mare volatus, longi per terras excurſus,lege ab ſumma Præfecto conſtituta aſſignantur. Verum cum Cœli regem adeò pulchrum,adeò decore plenum,adeò forma excelſum Reges regionis innocennæ eſſe affirmant,vt conſilio Põtificum, & Philoſophorum ob populum à ſcelere amouendum, ob plebem metu Dei deterrendam quadriformem effinxerint,hoc eſt cũ quatuor capitibus e Lynce animali deductis,è quorum vno, totum planè Orientem aſpicit, & alio Occidentem, ex alio diffuſum longè Septemtrionem, ex alio Meridiem ſpectat, hoc eſt, acuta gentes omnes,acie videt, Lynceo totum orbem lumine cernit, velut illud animal, ipſa trans parietes,& mõtes loca acie tranſit. Sub ſtatua tamen, quæ è pulcherrimo marmore in templo Amoiennæ vrbis eſt, hæc verba ſunt.





Ego Oriſſa, ſeu motor, ideſt Deus Cœli, & Terræ, ore in alto æthere nimium pulchro ago, qualem Cœli, & Terræ regem decet agere, vultu ſupra omnia mundi elementa excelſo, fronte, omni ſydere nitidiori, in terra tamen humana eam, quam videtis formam mihi dedere,eo quod omnia hominũ facta apertè conſpiciam, omnia mortalium geſta lumine vbique meo penetrẽ, abdita omnia per orbẽ conſilia audiam, licet innumeri mihi miniſtri de conditione terrenæ gentis renuncient, tamen cum ſcelera audio, non prius ad horrendam vltionem tendo, quam me in quadriformem Deum verto, ore è Lynce animali educto, quo omnes quadripartiti mundi partes tranſcurro, & ideò me ſic effinxere! O

Populi mei , qui me tantummodò Deum colitis , linquite odia , linquite liuorem, linquite cupidinem , linquite inanes mundi faſtus , linquite nefanda omnia , linquite dira vbique facinora; Colite me Deum veſtrum , qui omnia à toto cardine veſtro mala amoueo , innumeranda ſemper bona affero . Ego Oriſſa Deus veſter is ſum , qui omnia ſentio, omnia oculis, licet tecta multis integumentis,tranſcendo , qui nulla re æquè offendor,quam deteſtando crimine mortalium,& licet tardè mouear iratus ,tamen ad necem nimium truculentam , ad ſtupendas nimium pœnas accelero .





# ALEXANDRI GERALDINI EPISCOPI.

## LIBER VNDECIMVS.

EGo ( Pater Beatiſſime ) olim à Naaſamone Terræ Barbazinæ Antiſtite diſcedens, & ad Æquinoctialem mundi plagam nauigans conſilio eiuſdem Naaſſamonis mecum duxi Rangaanum Sacerdotem,qui multas poſt Zonam Torridam regiones peragrarat,linguam Luſitanam optimè norat, & ſtudio multarum nationum ritu Æthiopię adeũdarum,vt doctior fieret,libenti animo mecum venerat,qui mihi retulit, quod quadrigenteſimo, & ſexageſimo quinto à Callonea vrbe lapide , de qua paulò ante in fine libri noni dixi,Dannaſea Ciuitas , & Iſarij Pontificis ſui Metropolitana ſedes eſt, in alto cuius pariete Imago Dei omnia in ſe continentis ma- *Dannaſea Ciuitas.*

net, è regione cuius in alto templi pariete marmoreũ Titaani Pręſulis ſimulacrum, quod dextero latere pręgrandem è marmore tabulam cum hoc monumento habebat.

## TITAANVS DEMNASEÆ TERRÆ PRÆSVL.

E Iuſſu mandatoque Dei omnia in ſe continentis, quem ego Titaanus Pontifex coram me habui toto Cœlo pulchriorem, effigieque non bene à me noſcenda, & cum ego ſine mente, ſine iudicio, ſine animo toto corpore per ſolum extento iacerem, ille cum ſceptro omnibus lapillis precioſis lucidiori caput meum leniter tetigit, quo ego veluti experrectus illud erexi, nec tamen recto eum lumine intueri potui, ſed ſtupens obmutui, qui dixit! O Sancte Titaane vicem meam in populo Terræ Demnaſeæ guber-





nando tenens, vade, & hæc edicta, omnibus Sacerdotibus ſanctè electis, Regi patriæ, optimatibus, nobilibus, populo, & plebi propone, quod Deus omnia in ſe continens potens in Cœlo, in Terra, & in Mari, qui omnia Elementa in ſuo curſu ſub quadam lege minimè mutanda tenet, qui Mare ne à Terris effluat, facit, qui globum Terræ aere occlutum, & aerem, & ignem cum magno vndique miraculo ſuſtentat, omnibus imperat, vt mane inluceſcente è ſtrato ſurgant, ſe Deum pro Antiſtite Terrę Demnaſeæ, pro toto ſacrorum hominum ordine, pro Rege, pro maribus, pro fœminis, pro tota Demnaſeorum Republica pro omnibus patrię animalibus, pro aere ſalubri, pro imbre congruo tempore venturo,

Deus Omnia Potens.

Oratio matutina.

& pro magna per totam gentem vbertate orent, Reges verò mane antequam vlla obeant negotia ſuũ adeant templum, ſi verò in bellum ituri ſunt, triduo toto rei ſe diuinæ occupent, optimates quoque, & nobiles, qui publica patriæ munera exercent, nihil prius agant, quam ſuum ante altare humiles ſuccumbant, cæteri item populares priuato nullo ſe negotio anteà exponant, quam ſanctam Dei ædem petant, vbi imago eius eſt. Mercatores extra ſolum patrium profecturi, tota minimè vrbe egrediãtur, niſi vultu omni pietate ſupplici ſtatuam eius adorarint, reliqui plebeij nulla ineant opificia niſi ſuo coram ſimulacro decubuerint, cum interiori corde non adorarint, donec Terra Demnaſea hæc faciet, omnia fœli-

Deus ante omnia perẽda precandus.

cita-



citate plena, omnia ei fauſta erunt, quam primum hæc facere deſinẽt, omnia in eam mala, omnia in eam exitio plena obuenient, & Regnum ad exteram longè gentem transferetur.

Et vt ab eodem etiam Sacerdote accepi, itinere duodecim dierum è limite terræ Demnaſeæ Orientem verſus Damniana, Panniani ſoli Ciuitas maxima eſt, per medium cuius flumen à Nilo ortum labitur, ibi latiſſimæ valles, ibi altiſſimæ arbores, vellera nobiliſſimi ſerici per folia tenentes, ibi per colles odoratæ paſſim arbores ſe retegunt, quæ quadam parte anni ſudorem per internodia emittunt, quem poſteà coagulatum per ſancta Deorum templa adolent, cum ſuauiori longè odore quam ipſa thura; qui etiam vineas habent, quarũ malleolis primo vere putatis liquamina manant, quæ ſalubria toti genti vnguenta præbent, vulnera eo modo ſanant, vt nulla remaneant ſigna cicatricum, membra obtorta dirigunt, omnes è toto corpore dolores pellunt. Itaque hæc regio à remotis populis, à conſtitutis longè regionibus, à gente per Inſulas Oceani

Damniana Ciuitas.

Odores Aethiopum.

Vnguenta ſalubria.

Æthio-

Æthiopici ſita, ob ea patriæ mercimonia frequentatur. In vrbe Damniana Templum Dei conſilij eſt, & oraculum per ea ſæcula emiſſum quorum nulla planè memoria extat, cuius verba hæc ſunt.

Dei Conſilij Templum, & Oraculũ.

Qui Deo maledixerit lapidibus obruatur, interfectores Pontificum, Regum, Regiorum liberorum, & proditores, patriæ, nulla lege ſeruata, incognito omni mortis genere conficiantur, parimodo parricidæ, & matricidæ, vel ſi publicam, aut manifeſtam illi cauſam leto eorum dederint, & qui clarum hominem impiè interfecerit, duro tormentorum genere, cruda vndique nece è vita tollatur; ſi mediocrem, vel minimum, ſimplici morte, ſoluta tamen aliqua mulcta heredibus illius; quem male peremit; homini eminenti; ob mala omnia palam homicidia, parcatur. niſi in

Sancta Inſtituta contra tranſgreſſores legum.

Homines Eminentes non eadem pena afficiũtur ſicut reliqui è populo.





Pontificem patriæ, niſi in Regem coniurarit, vel proceres oppreſſerit; qui vulnere aliquem affecerit, pari ille vulnere, & eadem corporis parte, in publico loco per carnificem afficiatur, multa etiam arbitrio bonorum ei impoſita; Incendiarij priuatarum domuum, & Sacerdotum necatores, conuocato vndique populo occidantur; Incẽdiarij templorum, & publicarum ædium, per ſingulos manuum, & pedum articulos, per omnia membrorũ internodia in primario patriæ foro, per triuia, & quadriuia reſecẽtur gladio; Adulteri, vel adulteræ, conſiderato, eorum, vel earum dignitate ſuccumbant; latrones vbique ad arborem ſuſpendantur; cauſæ pupillarum viduarum, hominum, & fœminarum ſacrarum per Pontifices,

Penæ variorũ delictorũ.

vel Sacerdotes à Pontificibus conſtitutos definiantur, cæteræ lites, cætera maleficia arbitrio . ſenum , & probatiſſimorum hominum à Rege electorum , terminentur ſeruate præcepta mea Populi Damniani , nam ego Deus Conſilij ſum , qui piè, & ſanctè vobis conſulo; Regna enim quæ rectis legibus gubernantur ad longiſſima temporum ſæcula durant, alioquin breui recidunt .

Aethiopia Vaſtiſſima eſt.

Quo tempore cum conſiderarem, quod ſi omnes conſuetudines, omnia Æthiopię monumenta ſcire cuperem, minimè homines inuenire poſſem , qui ea recenſerent , ob prægrandem illum immenſæ patriæ axem , ob ignotum planè cardinem gentium innumerarum, ſtatui ea omnino relinquere , cum ſatis ea ſufficere debeant , quæ vidi, & audiui ſuccinctè enarraſſe, nec tamen ob eam rem generatim reliqua pretermittam . Vltrà Zonam Torridam , vbi omnia ſub alio polo noua apparent . Elephanti per latos campos , vbique candidi paſcuntur , multi ſerpentes , multæ

Elephanti Candidi.





viperæ , multa animalia nobis ignota apparent , multi Reges vnum Deum colunt, multi plura adorant numina , & inter eos Rex Manicongonum fidei noſtræ eſt, cuius auus opera Regis Luſitaniæ lauacrum fidei noſtræ recepit , cui cum minor frater Regnum eripuiſſet, & ad antiquos ſe Deos retuliſſet, ipſe cum viginti millibus Chriſtianis primariam regni arcem cępit , & paulò poſt fratrem minorem cum eo numero aggreſſus viginti hominum millia profligauit , multos occidit , & inter eos fratrem minorem prehendit , qua in re miraculum viſum eſt , copiæ enim fraternæ inter pugnandum conſpexere agmina Cœleſtia albo velamento induta , ab alto palam Cœlo deſcendere , & cum eo impetu irrumpere , quod cum tremendo metu in fugam verſæ ſunt , quo miraculo victi omnes fidem recepere, & tūc frater maior ea conditione fratri minori, & cæteris Regni optimatibus, qui fraterna impiè ſigna ſecuti fuerant, pepercit, vt perpetui templorum Chriſtianorum æditui eſſent, vt aſſiduè illorum purgandorum officia tenerent , quod Regnum cum manifeſto æterni , & immenſi Dei miraculo nunc latiſſimum eſt, per medium cuius, flumen à Nilo emiſſum labitur , quod per longiſſimum Æthiopiæ ſpatium tota Zona Torrida pe-

Rex Manicongonus Chriſtianus Rex Luſitanus ad fidē adduxit Regem manicogi.

Miraculum fidei Chriſtianæ.

Rebelles tēplorum æditui facti ſūt.

nè relicta, in Oceanum, qui ſub Antarcti-
co eſt, cum grandi vbique ſtrepitu ſe im-
mergit. Multi populi Democratiam re- Democratia
ctè, & ſanctè adminiſtrant, omni tyranni-
de, omni nobilium faſtu procul amoto;
Mu tæ gentes Ariſtocratia gubernantur, Ariſtocratia
latum per multas terras Imperium muni-
ficentia, largitione, & forti bello tenent,
plebem eorum in libertate eſſe ſinunt, pri-
uatam tamen omni Reipublicę gubernan
dæ munere. Multi Monarchiam appetunt, Monarchia.
priuilegia reijciunt, ſub ſola Regum, &
Principum voluntate manere volunt, nihil
æquè bonum exiſtimantes, quam magna
apud Regem auctoritate valere; Multi
Ariſtocratiam Democratię coniunctam,
habent, & ea lege, eo conſilio, eo tempe-
ramento, nobiles, & populi viuunt, vt
Reſpublica eorum manifeſto vndique ro-
bore fulta ſit, & tamen publica pontificum
edicta, teſtata patriæ decreta, vel manife-
ſta Deorum oracula præcipuum in Repu-
blica optimè gubernãda munus tenent.
Aliqui populi leges, & iura litteris ſcripta
habent, quæ ad vnguem ſeruant. Multæ Regimina. Varia.
vrbes, & multa quoque oppida, omni Re-
gum Imperio amoto, ſolo ſapientum con-
ſilip, patriam rectè, & ſanctè adminiſtrant,
multi conſilio Pontificum, & Sacerdotum,
quos in magna vbique veneratione tenẽt,

rem



rem patriæ publicã optimè temperant; In
extremo Oceani axe, qui ad Antarcticon
finitur in altiſſimis patriæ montibus ſer-
pentes adeò magni & oblongi è nauibus Maximi ſerpentes.
nauigantium conſpiciuntur, vt ſumma,
montium cacumina præuaſto corpore oc-
cupare videantur qui immani ore per la-
tum Cœlum aperto (quod mirum) eſt aere
ſuſtentantur, & tandem poſt longa ſæcula
cum grandi tędio longæ vitæ afficiantur,
cum duram tolerare ſenectam graue eſt, ſe
paulatim mouent, & cum tremẽda corpo-
rum mole, & cum incredibili arborum, &
animalium ſtrage, ad longa ſe plana pro
ripiunt, & in ipſo longè Oceano ſe effun-
dunt. Nam populi, vt manifeſtam cędem
euitent ſubterranea ad longum tractum,
domicilia incolunt. Verum non ab re erit
aliqua gentis Æthiopiæ priuata enarrare.
Æthiopes omnes è nimia cerebri ſiccita- Aethiopum deſcriptio.
te, quæ è ſole procedit recto orbe patria,
eorum euerberãte, deſiccata capitum hu-
miditate, breuiſſimos capillos tenẽt, can-
didos, & perduros dentes habent, firma,
oculorum acie viuunt, ingenio acuto, &
leui ob nimiam ſiccitatem agunt; veluti
Scythæ ſub contrario longè polo præ ni-
mio frigore, præ nimia patrię humidita
te, iudicio hebeti, dentibus infirmis, nec
acie acuta ſunt. Æthiopes verò, qui ſub Aethiopes ſub Aegypto & Indi.

 Ægy-

Ægipto degunt, & Indi, qui in Aſia, ita Nillo flumine, ita Indo, ita plurimis ſtagnis, innumeris fluminibus, ita plurima niue, quæ Canicula, & Leone in immenſum ſæuiente, è ſummis montibus liqueſcit, ita nimia terræ humiditate temperantur, quod nigros crines per colla oblongos, quod labia exilia, quod omnia corporum lineamenta ritu hominum Europę, & Aſiæ habeant, & admiranda toti orbi ingenia ſæculo veterum exſeruere. Nam Æthiopes, qui infrà Catabathmon ſunt, ſæpe Ægipto imperauere, & magna exempla Reipublicæ benè adminiſtrandæ toti Aſie tribuere. Indi ſaluberrimas leges, præclara patriæ inſtituta, illuſtria ingenij documēta exhibuere, & velut Ægyptij Mathematicos, Perſæ Magos, Græci Philoſophos, Itali Oratores, Galli Druydas emiſere, ita Indi Gymnoſophiſtas, fama quorum diuinus olim Plato relicta vrbe Athenienſium ſapientiæ magiſtra ad eos in vltimo orbe videndos, ſine vllo itinerum, ſine vllo metu captiuitatis properauit. Sed gentes illæ nigrę, quæ in vltima illius Inſulæ parte ſunt, quæ (vt Plato in Critia refert, Europa, & Aſia maior eſt) lōgiſſimo ab Arctico noſtro ad alium Antarcticum ſpatio, efferuntur, & latiſſimo ab Oriente in Occidentem tractu ſe

Differentia Aethiopum

Nationes, quæ Emiſere ſapientes.

Plato.

pro-



protendunt, & quinque mille Inſulę nigrorum populorum, quæ circum quaque ſunt, ex vndecim mille Inſulis, quę in nobilis Ariſtotelis Coſmographia memorātur; in his iudicio nulla parte integro populi viuunt, animo nulla parte nobili agunt, nullum in Cœlo Deum eſſe credunt, nulla elementa litterarum tenent, nulla inter ſe commercia exercent, nullas leges, nulla Iura, nulla maiorum inſtituta habent, ipſa matrimonia pro minimo diſſidio, pro minima controuerſia dirimunt, & tandem nullum terrę humanę regimen ſeruant, quod ideò obuenire exiſtimo, quia ſolam gētem Æquinoctij finitimam tenēt, quę nimia terrę vbertate, eadem planè inertia, & paulò ſuprà ingenio agit, & idem eſsēt Æthiopes, quæ ſub Africa sūt, niſi multiplici Numidarum, & Maurorum commercio, niſi varię terrę deſertę inuaſione, viuidiores efficerentur niſi mutua cum Æthiopibus, qui ſub Ægipto ſunt, mercimonia tractarent, niſi Arabes, Perſæ, & Indi ob maxima per Æthiopiam lucra ſe conferrent, niſi Aegiptij eadem quoque cupiditate eam penetrarent, cum Thure, Myrrha, Cinnamomo, Caſſafiſtula, vnionibus, aromatibus, cum lino ſerico, Balſamo, multa è præcādido bombyce veſte, & varijs è toto Oriēte lapillis aſſiduè

Amētes populi.

 pe-

peragrarerent,iura,leges, Deos, Aſtrologiã, Philoſophiã metum Dei eam quoque edocerent; ſed iam tempus eſt, vt gentes nigras,& Æthiopiam relinquam,de qua, ea,quę ad multos menſes vidi,& ea, quę à ſummis hominibus audiui diligentiſſimè annotaui, & licet ego Reges, & Prę ſules, qui Chriſtiani non ſunt, in numero ignauę plebis ponendos eſſe cenſeam, & ſoli homini Chriſtiano fidem eſſe habendam iudicem; ſi lege ille integra viuet; In his tamen rebus, quę ad Vrbes, populos ad remota à nobis regna, ad Coſmographiam, ad Aſtrologiam,planè noſcẽdam attinent, ſi ex leges periti erunt, iudico illis fidem dandam eſſe.

Fides habenda eſt ſoli homini Chriſtiano.





# ALEXANDRI GERALDINI EPISCOPI.

## LIBER DVODECIMVS.

NVnc iam tempus eſt ad nauigationem meam redire, quam paulò ante in Riuo Æthiopiæ flumine ea cauſa reliqueram, vt interiores Æthiopiæ partes, quas non videram, multos ſub Zona Torrida populos, multa vltra eam regna deſcriberem, eo tempore, quo mihi graue erat ædem ſancti Dominici diu relinquere, & Regnum Gambæ ob immanitatem gentium adire odio haberem, & littora patriæ Gineæ infida luſtrare, vbi populi nulla fide viuunt, omninò refugerem; ibi enim fratres, & conſanguinei cum deteſtabili inſidiarum genere fratres,& conſanguineos exteris remotiſſimarum, nationem mercatoribus vendunt,& eandem

Riuus flumẽ Aethiopiæ.

Regnum Gambię Ginea.

ad hoc veni, quod tertio decimo Kal. Ianuarij à Riuo flumine, quod ſexageſimo lapide à Capite viridi eſt, cum animo meo ſatisfeciſſem, in Æthiopia diu peragrata, vela ad templum meum vertere imperaui, ſed ne longa malacia Oceani Æthiopici ad longa tempora laboraremus, ad octauum vſque diem eo conſilio ad Septemtrionem nauigauimus, vt faciliori poſteà modo ad Æquinoctium iter caperemus, & tunc primum ceti corpore tremendi piſces aſpectu informes, cum horribili roſtro ad ictum fundæ oblongi, per latum mare apparuere, & alia in toto ponto facies ſe aperire cœpit, cum enim aquæ non multum profundæ eſſent, & arenæ omni parte rubræ infra manerent, ipſum pelagus longo ſanguine plenum exiſtebat, & hoc erat Sole eas vndas feriente totis radijs. Deindè vbi colles è cādidiſſimo marmore ſe retegebant, pari modo omnia lacte cādidiora erant, & vbi virides ſiluę, & ingentia ad longiſſimum ſpatium plana è viridi colore ſe offerebant, & vbi nigri, ſimili modo ad multa paſſuum millia, totum mare ſe nigrum retendebat, quo tempore cum dubio multum animo ageremus, adduxere è ſentina nautas Æthiopes, quos paulò ante captiuos fecerant, qui omni animi motu nos leuauere; Æthio

Piſces ad ictum fundum longi.

Mare Rubrū vbi arenæ rubeæ.

Candidum marmor.





pia enim vbique mari, & terra, vario marmore repleta eſt, quod colorem adeò viuidum habet, quod ſole poſteà toto orbe reuerberante eam patriam, nihil adeò viuidum eſſe poteſt. Multæ in eo Oceano Inſulæ à gente nigra cultæ, vbique comparuere, quarum mortales, niſi quia ore agebant humano, beſtiæ omnino erant, nulla enim commercia cum exteris nationibus habebant, cymbas, niſi piſcatorias, cum quibus non longe inde adnauigare poterant. Poſteà cum longè à cōtinenti Æthiopiæ quinque dierum nauigatione eſſemus, inaudita in toto Oceano monſtra cum noua, nec cognita antea effigie comparuere, cum tremendo vbique aſpectu, quę cum nauem noſtram ambirent, & præaltam horribili dorſo puppim ſuperarent, & in grandi vndique motu nos tenerent, tormentorum ictibus ſubmotæ, infandas voces, immanes boatus, horrēdos omni parte ſonos, ad longum immenſi pelagi ſpacium emiſere. Nam illud mare hiſce monſtris repletum eſt, quæ apertam vaſti portenti effigiem tenent. Et tandem triceſimo ſeptimo poſteà die, quo à Riuo flumine diſceſſeramus felici vento ad deteſtādas Anthropophagorum Inſulas peruenimus, qui lingua eorum Caribæ, ideſt viri fortes, nuncupantur; Quæ Inſulæ ab

Mōſtra terribilia.

Anthropophagi.

innumerabili truculentiſſimorum hominum multitudine cultæ ſunt, ij illa Inſula egreſſi, quæ Platone in Critia enarrante, Europa, & Aſia maior eſt, & ad octingenteſimum ab vrbe Sancti Dominici lapidem diſtat, cum carne humana veſcerentur, & montana per propria eorum loca incolerent, quò ſecum prædam hominum retrahebant, & aſſidua cum viris fortibus bella gerebant, qui à tali ſe alimento abſtinebant, & pij, & boni in vera naturæ lege viuebant; cum vicinas Inſulas planè imbelles ſpectarent, cæperunt ad illas cum multiplici cymba ſe tranſmittere, & vna, & alia bello capta, & maribus in nefanda menſa eorum aſſumptis ad hoc venere, quod vltrà centum Inſulas eorum hominum, qui recti, & integri, cum mira vbique æquitate viuebant, occupauere, immani ingluuie mares omnes deglutiuere; ij nullos Deos eſſe credunt, hoſtes naturæ ſunt, procero corpore ſemper nudo agunt, prægrandibus membris, vultu omninò truculento ſagittis venenatis vtuntur, quarum aculei ex oſſe piſcium omni ferro duriores ſunt, & ne longi, & nigri per humeros capilli ictus eorum remorentur, crine ſuprà verticem retorto, & in nodum ligato, cum multis ſagyttis in manu ſiniſtra, cum prægrandi huc, & illuc ſal-

Caribe centum Inſulas occupauere.

Prelia Andropoplagorum.

tu



tu ſe ſemper in altum eleuando, ne tormentis, teliſque noſtrorum conficiantur, in certamen prodeunt, corpore nudo, & varijs coloribus depicto, & ſagyttis iactis cum mira celeritate ad vicina nemora, quorum ingens omni parte copia eſt, ſe retrahunt, & inopinatò cum nouis ſagittis cum nouo veneno, cum incredibili in hoſtes impetu referuntur. Quo genere vitæ, in innumerabili metu, in incredibili animi fluctu vicinæ vbique Inſulæ erant, & populi longè amoti per altiora patriæ loca ſpeculas tenebant, & per promontoria in mare retenta, homines, qui aduentum eorum è veſtigio vicinis populis renunciabant. Et tandem impij Caribæ corpora, quæ bello capiebant, ſi pinguia erant, in magnis arboribus, aſſeribus ad ignem ponebant, vel in pregrandibus à henis è fictili opere effectis ad ignem elixabant, capite truncato, & longe eiecto, ſi macra, vario edulio ſaginabant, veluti nos altilia ad diem feſtum reſernata: De pueris dicendum eſt. Impij mortales pueros omnes repentè eunuchos reddunt, & poſtea; pinguefactos geniali patriæ tempore in vnum coëunt, & miſeram puerorum turbam, miſerum agmen populi ſaginati, in media eorum corona ſedere faciunt. Inde vnus Caribarum, Nam Cariba nobile in

Caribe homines ſaginant.

ca

ea gente nomen eſt;ſignificat,enim, vt dixi, hominem bello fortem, cum varia brachiorum geſticulatione, cum varia impij vultus agitatione,cum vario corporis motu, cum ore omni parte crudo, & truculento, calamitoſam ſæpe cateruam ambit, corpore per eam retorto ſimul cũ lumine crudeli, mox capite vnius, poſtea alterius, vel eorum quotquot collibuerit, vel communi conſilio ſtatutum fuerit,vno ictu enſis lignei reciſo, quod acuta adeò acie agit, veluti è præduro chalybe.Inde grandi abominandorum hominum plauſu ſuccedente, diem genialem, diem voluptate plenum, carne puerorum, vltrà hominum præpinguium ducunt, mulieribus captiuis parcunt, & eas ad priuata coniugum officia, ad priuatum liberorum obſequium reſeruant, Dęmones ſæpe alloquũtur, nec vllas illis preces, nec vlli Deo effundunt, raptu gaudent, & aſſiduo bello cum hoſtibus,& omnes habent hoſtes, qui alimento humano abſtinent. Ipſi tamen cum admirabili inter ſe concordia viuunt. Magiſtratus eligunt, qui omnem à tota patria litem è veſtigio tollunt, cum verò ipſi capiũtur fida omni tempore obſequia præſtant, ſed pios oro mortales, ſed piam humanorum hominum gentem quæſo, vt ea planè obſequia renuant, vt omnia offi-

Cariba homo bello fortis.

Caribe mulieres ſeruãt.

Demones alloquũtur.





cia hominum carne humana tumidorum euitent. Cum enim fera per orbem monſtra generi ſuo parcant, quid boni in eo genere hominum eſſe poteſt,qui generi ſuo non parcit? Et tandem vt ad iter meum redeam, Beriquæiam Inſulam deteximus, qua modo Gratioſa dicitur, & nobile matris meæ nomen à Colono Ligure inditũ tenet,quæ genere,ſanctitate,antiquis moribus, multa doctrina, & teſtata in Deum pietate clara fuit, tunc ego lætus, quod antiquam mecum amicitiam Colonus ſeruaſſet eo ſcilicet tempore,quo eum ad talem in magno Oceano expeditionem capiendam iuui; nam cum ego genitricem meam ſummoperè, me minimè petente commendarem,ipſe mihi reſpondit, ſe Illuſtre matris meæ nomen alicui nobili Inſulæ inditurum eſſe,& tunc ego cum grandi vbique gaudio in proximum portum deſcendi, inde Inſulam intraui altis arboribus plenam,herbiferis campis inſignem, gelidis fontibus, & multis riuis celebrem. Hæc Inſula olim culta à pijs, & bonis gentibus erat. Mox Anthropophagi eã cepere, & omni ciue in crudeli conuiuio eorũ deuorato ad longa tempora tenuere, & poſtremò metu Hiſpanorum eam deſeruere. Ibi ego nomine materno recreatus ad biduum fui. Quo tempore cara matris

Beriquæia Inſula Gratioſæ matris meæ nomen capit.

Gratioſæ Inſule deſcriptio.

meæ vbera, antiqua genitricis meę memoria, amatę immenſum blandicię, læta mihi puero ora à me nunquam receſſere. Quo tempore, ſpectati illi mores, præclaræ illæ animi dotes, magna pietas, probata vitæ beatę ſanctitas, & memoranda ſęculi antiqui ornamenta, quæ in ea erant, mentem adeò noſtram ſubiere, quam in maxima admiratione, aſſiduas ad lachrymas mouere. cui ſi contigiſſet, me magnũ in longiſſimo axe Præſulem intueri, omnia certè bona ei cõtigiſſent. Nunc ego finem huic duodecimo libro in matre mea, ea ratione pono, vt maior de ea memoria ſuperſit, cum eam ab alijs rebus itineris mei ſemotam lugeam, & hæc carmina in ipſo Inſulæ ingreſſu, non longè à portu in marmore poſui.

Inſula nomen habet generoſum matris amatæ,
  Chara nimis meritò quæ mihi ſemper erit
Marmoreum Latia tenet in regione ſepulchrum
  Atque etiam patrio membra ſepulta ſolo.
Nomen ad Antipodes retinet tamen illa perenne,
  Nobile quaque ſibi cum foret omne decus
Dotibus ingenij, ſancto virtutis honore
  Æquabat veterum ſæcula priſca patrum.
Excoluit doctas animum celebranda per artes,
  Cum caperet primos alma puella dies.
Filius hoc poſuit nunc terra marmore in iſta,
  Commemorat matris cum bona magna ſuæ,
Præſul Alexander ſubmoti in ſydere mundi
  Per reſluum poſcens templa beata mare.





# ALEXANDRI GERALDINI EPISCOPI.

## LIBER XIII.

NVNC (Pater Beatiſſime) ad iter meum redeundum eſt, qui tertio poſtea die, quo ab Inſula nomen matris meæ tenente diſceſſi, ad Inſulam Caruqueriam tempeſtate perueni, quam Inſulam Colonus antea Guadalupiam appellauit, à Guadalupio vlterioris Hiſpanię Cœnobio, omnium vniuerſæ Iberiæ nobiſſilimo, vbi nautæ noſtri ob cõmeatus habendos, deſcendere, ſigno pacis à gente Caribarum antea habito. Quo tempore, cum primarij multi mortales è crudeliſſimo eo hominum genere, vt me adirent, nauem ingrederentur, renui ego immanes adeò homines, renui ego infamem adeò gentem intueri, & per Riberam meum monui, vt ta-

Caruqueria Guadalupia nuncupata.

Caribe Primarij me adiere.

le viuendi genus relinquerent, & cum Leo
*Animalia bruta ſibi ipſis parcunt.* Leoni parcat, Vrſus, Vrſo, cum Tigris, Ti-
grim non perimat, & ſerpenti magna cum
ſerpente concordia ſit, & quæque per orbē
animalia generi ſuo amica viuant, licet iu-
dicio integro careant; Abominabile enim
opus erat populos Caribarum, qui effigie
humana agūt, ea ſcelera patrare, à quibus
animalia omnino bruta abſtinent, & cum
boni quique à cæde animalium innoxiorū
abhorreāt, nefas erat nullis ſacris expian-
dum, nulla hominum prece purgandum,
gentes Caribarum à letho non poſſe hu-
mano temperare, ne diem genialem, ne
diē apertè feſtum carne puerorū, vel ho-
minū ſaginatorū, vario edulio protrahāt;
Qua voce illi audita, cum ingenti impetu
ad me cucurrere, & familiaribus meis ab
oſtio tabernaculi ſummoti, quo ego
*Caribæ ante pedes Alexandri Epiſcopi.* inter libros eram ante pedes meos pro-
cubuere, & antiquitatem patrum eo-
rum à longo ordine maiorum relictam,
qui præclara per eas terras fortitudine
egere, & ritus à poſteritate obſeruatos,
*Excuſatio Caribæ.* enarrauere, ſe omnium populorum, qui in
eo axe ſunt, nobiliſſimos abundè iacta-
uere, finitimos omnes comparatione eo-
rum inter homines minimè habēdos eſſe,
retulere; Conſilia verò mea optima eſſe
affirmauere. Si illi quorum corporibus ve-





ſcebantur, viri fortes eſſent, nam ego pla-
nè ſcire debebam, quod præcipua homi-
num virtus in præſtanti corporum robore
ſita eſt, quo illi carebant, & pietas in ma-
gno contemptu habenda eſt, ſi viribus ma-
gnis fulta non ſit? Tunc ego crudelem
gentem interrupi, & faſtu nefariorum ho-
minum damnato, quod ſe nobiliſſimos ia-
ctarent, cum eſſent omnium hominum
ignobiliſſimi, qui nulla humanarum gen-
tium lege viuebant, qui nullo animi deco-
re agebant, quibus nulla patriæ æthereæ
cura erat, nec vllum in Cœlo Deum noſce-
bant, & cum illi plura reſponderent, & ego
nihil proficerem, & eos à me abire iube-
rem, & illi ridendo vinum peterent, ego
vt ea à me portenta amouerem, & vinum,
& lautum ientaculum ritu Chriſtiano da-
re imperaui, nec iterum, vt ipſi cupiebant,
me adire permiſi; poſteà die iam inclinan-
te oram inde ſoluimus, & mane illuceſcen-
te, ſparſas circumquaque Inſulas, & longè
poſitas malignæ gentis circumſpeximus,
& tunc ego cum grandi vndique gemitu
clamare cæpi! O Populi aſpicite tempora *Exclamatio Alexandri Epiſcopi.*
noſtra vndequaque enormia! O humanæ
gentes ſpectate ſcelera omni parte trucu-
lenta! O pij mortales cernite immania
facinora, nec in axe Europæ, Aſiæ, & Afri-
cæ audita! O mores omnino crudi! O ri-

tus iure abominandi! O execranda per totum orbem ſcelera, humani enim homines, humanos comedunt homines! O Populi, qui aliquem ætheree originis ſenſum retinetis, qui aliqua antiqui ſeminis memoria mouemini, videte omnia calamitate plena, omnia ſcelere operta, gentes enim, quæ ratione vbique humana agunt gẽtes ex eodẽ ſemine natas edunt! O curricula ætatum ritè miſera! O curricula temporum iure lachrymanda, in quibus ipſi mortales, qui integro ſenſu, integro iudicio agunt, dentes per eorum viſcera iaciunt, qui ore per altum Cœlum retento, qui effigie per ſublimem ætherem, erecta viuunt! O infame quidem genus, quod carne eorum hominum nutritur, qui eodem vultu, eodem ore, eodem lumine, eadem planè imagine, ſe retegunt! O beata per orbem animalia bruta, quę generi vbique ſuo parcunt, quæ cum eadem animalium ſpecie pietatem ſeruant, quæ eadem minimè carne replentur, quæ de eodem aperte ſemine orta eſt, quod noſtro tempore cum inaudito crimine, cum inaudito facinore humani patrant populi! O commendanda Pelagi, & terrę monſtra, quę terribili per mare fronte vos aperitis, quę horribili per ſyluas, & montes roſtro vos panditis; & tamen cum

ani-



animãtibus ex eodem genere emiſſis cum teſtato palàm amore viuitis! O gemendam ſęculi noſtri feritatem, in qua populi humani, in qua mortales Deo Cœleſti ſimiles, humanis minimè gentibus indulgent, ſed ſimili ſe corpore ſuſtentant, & coaleſcunt. Nunc ego credo crudelia Antiphatę facta apud Formias fuiſſe, vera Dianę ſacrificia in Taurica extitiſſe, verã hominum immolationem apud Druidas, & Cyclopes in Ætna Sicilię monte hominum epulis coaluiſſe. Nunc ego credo Thieſtęam menſam, Nunc truculenta Therei geſta, & Ityn filium paterno ore eſum, Nunc tragica omnia priſci ſęculi facinora minimè ficta fuiſſe cognoſco! O mortales per orbem poſiti, ſi humani eſtis, nobile originis veſtræ nomen, in mente retinete! O mortales excelſum ſeminis ętherei decus in memoriam reuocate! O mortales tale fugite malum, tale euitate nefas, tale admouete ſcelus, tale tollite facinus à poſteritate veſtra. Sed ad rem noſtram, à qua impia Caribarum facta aliquantulum me auocauere, redibo. Aliquę illarum Inſularũ à longa earum multitudine vndecim mille Virgines à Colono Ligure nuncupatæ ſunt, eò quod die earum Virginũ feſto, quo in Colonia Agrippina Germaniæ inferioris Vrbe pro fide

Nomina multarum inſularum.

Colonia Agryppina.

 Chri-

*S. Vrſula.*

Chriſti vnà cum ſanctiſſima Vrſula earum duce occubuere, repertæ ſunt; quæ omnes immiti eo populo plenæ horrorem nauigantibus non mediocrem præbent. Deinde ſuccedunt aliæ decem ab ea gente cultæ, & quia omni cultore abſumpto, deſertæ remanſere, publico Anthropophagorũ idiomate Tairiane, ideſt ore oſeæ nominantur, vbi miſera omni parte facie ſe aperiunt, memoria eorum hominum, qui eas incoluere, & triſte poſteà ſepulcrum per corpora hominum recepere. Quarum prima pileus à forma pilei dicta, ſecunda Anguilla, à longa anguillæ imagine, tertia ſancti Marci, quarta ſancti Sabæ, quinta ſancti Bartholomæi, ſexta ſanctæ Mariæ Rotũdæ, ſeptima Diuæ Mariæ Niuis, octaua Montis Serrati, nona Diuæ Mariæ antiquæ, decima omnium ſãctorum, eo quod luce eorum ſolemni inuentæ ſunt, vel quod ſic Colono Duci, viſum eſt. Præterea quædam inſula Guadalupiæ coniuncta immani eo ciue referta eſt, nec inde longe Iguanacheia, mox alia ſanctæ Luciæ à barbaris Igunaronia vocata, aliæ Granatæ olim Thauria, alia ſancti Vincentij, ante Irumania. Quæ omnes à deteſtabili eo mortalium populo tenentur, & tandem tertio à Guadalupia die Inſulam ſancti Ioannis Baptiſtæ deteximus, quam an-

*Tairiane inſulæ ideſt Oſſeæ.*

*Nomina inſularum depopulatarũ.*





tiqui patriæ incolæ Beriqueriam appellabãt, quæ maior Cyrno maris Etruſci Inſula eſt, vbi templa Chriſtiana, & Alfonſus Manſus ætate Iulij ſecundi Pontificis maximi Antiſtes conſtitutus eſt. Quo tempore incognitas in illo Oceano tempeſtates experti ſumus, adeò quod in eam Inſulam nullo modo potuimus accedere: Cum enim Cœlo vbique ſereno nauigaremus, vna nubecula, vno momento oriente, & imbre, & vento inopinato ſuccedente, nullum remedium dabatur, nè omnino ſuccumberemus, niſi è veſtigio à malo vela deducere. Itaque in Inſulam Hiſpaniolam nos conuertimus, triduò ea peſte laborauimus. Cum enim omnia per Cœlum candida eſſent, & ſole totum orbem irradiãte, ſecuri vela tẽderemus, nubecula nouies, & decies vno die apparente, quotidie etiam inualeſcente, ingenti item procella ſubſequente, in incredibili deſcrimine fuimus, & quarto demum die portum nobiliſſimæ Ciuitatis ſancti Dominici intrauimus, vbi cum maximo populi, nobilium, & magiſtratuum apparatu exceptus ſum, eo quod ego primus in eam vrbem Epiſcopus traieciſſem, vbi admiratus inclytam Ciuitatem breui ſpacio viginti quinque annorum conditam; Ipſa enim ædificia ritu Italiæ alta, & pulchra ſunt, ip-

*In capite tẽpeſtates.*

*Portus ſancti Dominici Ingreſſus.*

ſe portus omnium nauium Europæ capax, ipſæ viæ latæ,& rectæ,vt viæ Fluentinæ,nullo modo comparandæ ijs ſint, quamdam antiqui ſæculi amplitudinem noſtro tempore ſurgere conſpexi. Quare ſi populus meus relinquet factiones, quas malè incepit, planè auſim affirmare hanc vrbem ſuccedente minorum ætate latiſſimum in tota plaga Æquinoctiali imperium habituram eſſe. Quid referam, nobiles Equites, veſtibus purpureis ſericis, auro intertexto claros, qui innumeri ſunt. Quid Iuris conſultos, qui patria eorum ſub axe Europæ relicta, hanc Ciuitatem optimis legibus, optimis moribus, ſanctiſſimis inſtitutis inſignem reddidere? Quid Præfectos nauium? Quid Milites? Qui nouas gentes, nouos populos, nouas nationes, noua regna, & alia ſub alio Cœlo ſydera quotidiè detegunt, res proculdubio admiranda eſt. Poſteà cum templum Epiſcopale adirem è tignis, è coeno, è luto erectum ingemui populum meum tantam curam in ædibus priuatis poſuiſſe, quę breue ei domicilium daturæ ſunt, & nullum conſilium in templo ædificando tenuiſſe, in quo perpetuum eis receptaculum futurum eſt. Itaque mecum animo euoluens hoc opus Epiſcoporum eſſe, populo, & magiſtratu in ſede Epiſcopali coadunato, &

Ciuitatis S. Dominici nobilitas.

Eccleſia Epiſcopalis e luto, & tignis edificata.

ora-



oratione ibi publice terhabita adeò omnes moui, quod licet graue eis ſit, deſerta in alio orbe cognatione, & patria pecunijs ſe exuere, præſertim cum antiqua maiorum ſepulchra, cum affines, cum gentiles, cum cara amicorum pignora, cum natiuus patriæ amor ſæpe eos reuocet, nec integrè conſtitutum habeant, an hic permanſuri ſint, tamen pro pio adeò opere me iuuabunt. Verum (Pater Beatiſſime ad prænobile templum ſub remotiſſimo axe erigendum, in quo nullum anteà nomen Dei noſtri traiecerat, ope Beatitudinis tuæ (cui latum à Deo Imperium, veluti Europa, Aſia, & Africa eſt) cōparatur, faciendum eſt, connumerata enim illa Inſula Europa, & Aſia maiore, dimenſis vndecim mille Inſulis ab Ariſtotele memoratis in celebri illa coſmographia à ſe edita, non plures in ſuperiori emiſpherio regiones, quam in inferiori ſunt; ſed non ab re erit, aliquid de Illuſtri eo homine, qui Inſulam Hiſpaniolam, & latum adeò cardinem mundi inuenit, & quomodo inuenit, referre.

Non plures gentes in ſuperiori Emiſpherio quam in inferiori ſunt.

ALE-

# ALEXANDRI GERALDINI EPISCOPI.

## LIBER DECIMVSQVARTVS.

QVONIAM omnes, qui aliquid ſcripſere, ante omnia, nomen, genus, & patriam eorum, qui aliquid memoria dignum, qui aliquod facinus poſteritati demandatum peregere, commemorauere. Ego, (Pater Beatiſſime) eorum opinionem ſequutus, ita faciam. Eo enim modo omnia melius explanabo, omni ætate venturæ plana magis efficiam. Chriſtophorus Colonus (Sanctiſſime Pater) natione Italus è Genua Liguriæ vrbe fuit, Coſmographia, Mathematica, omni Cœli, Terræ dimenſione clarus, & ante omnia magnitudine animi Illuſtris. Hic cum dimenſo Cœli, & terræ circuitu, comperiſſet in longa per Oceanum nauigatione terras Æquinoctij, vel

Chriſtophorus Colonus.



vel Antipodum inueniendas eſſe, & lecto in Critia Platone nullo modo crederet, magnam adeò partem mundi ſummerſam eſſe, quam ille non minorem Europa, & Aſia eſſe dicit, primo Galliam, & poſtea Britanniam Inſulam adiuit, & propoſita ſpe noui mundi inueniendi, cum hæc expeditio ab vtroque Rege velut incerta reijceretur, ad Ioannem Luſitaniæ Regem conceſſit, cui cum idem videretur, in vlteriorem Hiſpaniam ad Ferdinandum Regem, & Eliſabetham Reginam, qui eo tempore bellum in vltima parte Bæticæ contra Arabes gerebant, profectus eſt. Vbi ab Antonio Geraldino Fratre meo Pontificis Legato, & homine clariſſimo, qui paulò ante è publica ad Innocentium Octauum Pont. Max. Legatione redierat, vehementiſſimè adiutus eſt. Verum morte Fratris mei ſuccedente, cum humana omni parte ope deſtitueretur Colonus in tantam calamitatem incidit, & familiarium infidelitate, & pauperie eum premente, quod ad quoddam Sanctiſſimi Franciſci Cœnobium, quod in Regione Bæticę, & in agro oppidi Marcenę eſt, ſupplex, & humilis, vt neceſſaria vitę alimenta ſibi ſubminiſtrarentur, ſe contulit, vbi Frater Ioannes Marcena, homo, vita, religione, & ſanctimonia vndique probatus viſo Colono homine

Coloni varia itinera.

Ferdinandus &c.

Antonius Geraldinus colonum iuuit apud Reges.

Calamitas Coloni.

mine omni parte Illuſtri, miſericordia motus in Illiberim vrbem, quam noſtro ſęculo Granatam vocant, ad Ferdinandum Regem, & Eliſabettam Reginam perrexit, qui auctoritate clari hominis moti, pro Colono miſēre, quo intrà paucos dies veniente, cum coadunato primariorum hominum conſilio variæ ſententię eſſent, eò quod multi Antiſtites patrię Hiſpanę manifeſtū reū hęreſeos eſſe planè aſſerebāt, eò quod Nicolaus à Lyra totā Terræ humanę compaginem ab Inſulis Fortunatis in Orientem vſque ſuprà mare extentam nulla latera habere per inferiorem partem ſphęrę obtorta dicit. Et Diuus Aurelius Auguſtinus nullos eſſe Antipodas affirmat, Tunc ego, qui fortè iuuenis, retro eram Didacum Mendozam ſanctę Romanę Eccleſię Cardinalem hominem genere, integritate, prudentia, rerum notitia, & omnibus pręclarę naturę ornamentis Illuſtrem, petij; cui cum referrem Nicolaum à Lyra virum ſacrę Theologiae exponendae egregium fuiſſe, & Aurelium Auguſtinum doctrina, & ſanctitate magnum, tamen Coſmographia caruiſſe, eo quod Luſitani ad inferiores eo modo partes alterius hemiſphęrij tenderant, quod arctico noſtro relicto, alium ſub alio polo antarcticum detexerant, omnia ſub Zona Tor-

Nicolaus à Lyra.

D. Aurelius Auguſtinus.



Torrida populo plena repererant, noua in axe Antipodum ſidera conſpexerant, tunc ſanctus Angelus rationum patrię Valentinæ magiſter à Colono petijt, qua ſumma pecuniarum, quo nauium numero, ad longam adeò nauigationem opus eſſet. Qui cum reſponderet tribus millibus aureorum, duabuſque nauibus neceſſe eſſe, & ille è veſtigio ſubderet, ſe eam velle expeditionem capere, & eam quoque ſummam pendere, Eliſabetta Regina alto à natura animo quo erat, accepto Colono, naues, Collegam, & pecuniam pro nouo orbe genti humanæ aperiendo liberaliſſimè attribuit, quo tempore Colonus miro conſilio proſpiciens, quod ſi rectis Zephyris per Occidentem nauigaret vbi magnę ſæpe procellæ oriuntur, in ignoto mari omninò deperiret, & ſi per Septemtrionem vela panderet, turbine ventorum aſſurgente in Cœlo à nemine antea noto, longè maiora pericula ſubiret, vtraque nauigatione cum magno conſilio reiecta ad Inſulas fortunatas, ad tepentem mundi partem, ad ipſum deindè Æquinoctium, vbi mollia ſemper maria ſunt, ſe conuertit, ac eo modo in longa nauigatione, primo ad Inſulas Anthropophagorum, poſteà ad Inſulam Beriqueriam, quam ſancti Io. Baptiſtæ nominauit; Inde ad Itim, ad Imaicam, ad

Eliſabetta Regina Hiſpaniarum, pecuniam Tribuit.

Mira Coloni Prudentia.

Prima Coloni nauigatio.

Hiſpaniola, vbi S. Dominici Ciuitas eſt primo hi tis vocabatur.

Quæ vocatur Ciuitas S. Dominici.

ad Cubam, ad partem maximi illius continentis, quam Americam appellant, peruenit. & poſtremò toto Oceano longè, & late oberrato cum Itim Inſulam multo auro, multis populis, multo vbere, multis natiuæ terræ bonis abundantem cerneret, ei Hiſpaniolæ nomen à terra Hiſpana deductum indidit, & quoniam die Dominico eam Inſulam inuenerat, ibi vrbem ſub nomine ſancti Dominici primariam fundauit, quam paulò poſt Nicolaus Ouando homo, è religione Calatrauæ nobilis in aliam partem magni fluminis ob vicinum vbique aurum per magnos montes tranſtulit, cui Ferdinandus Rex, & Eliſabetta Regina Guarçiam Pauillam è religione Diui Franciſci pium, & ſanctum Præſulem nominauit. Cætera deliramēta, quæ quidā effingunt, vana ſunt; adeò quod prouerbium ætatis antiquæ verum eſt. Mali homines bonorum omnium hoſtes ſunt, & preclara magnorum virorum facta quoquo modo poſſunt, damnant, & nihil grandi adeò odio proſequuntur, quam Illuſtria hominum ætatis ſuæ facinora ſpectare, cum ipſi nihil edere queant, quod aliqua dignum memoria ſit. Quod quidem opus ab exiguo animo, à mente omni parte maligna, à corde ſcelere pleno progreditur, quæ enim res adeò iniqua eſt, quam

Remp.



Mala cōditio Reipublicæ claris hominibus exutæ.

Remp. claris hominibus exutam, quam patriam, quæ omne planè incrementum à præſtanti ciuium ordine, à ſpectabili magnorum hominum genere recipit, iacentem ſpectare, cupere? magni animi eſt, Rempublicam, & patriam excellenti ciuium multitudine fluentem velle intueri. Magnitudinis vndique commendandæ eſt, eos Ciues, eos mortales optare, qui immortale patriæ decus, qui æternum toti genti humanæ lumen ferunt, quid enim adeò improbandum eſt, quam hominem nullo decore agentem, nulla virtute, nulla doctrina, nullo ornamento inſignem, altæ magnorum virorum amplitudini detrahere? Deberent enim tales homines à toto orbe eliminari, qui publicum præclaræ genti damnum, qui publicum magnis ingenijs exitium maligno corde præbent, cum deterrima illi portenta ſint. Sed hæc ſatis. Ad Colonum reuertar. Referunt monſtra naturæ apud Cluuium Galiciæ vrbem à quibuſdam nautis diu per ea maria iactatis, à quodam hominum genere, quod per illud mare ad nauigabat, Colonum audiuiſſe, terram ſub eo axe viſam. Dicunt etiam quoſdam ſub Inſulis fortunatis agitatos, immani tempeſtate ignotas arbores vidiſſe, renunciaſſeque Colono regiones aliquas propè eſſe. Hæc ridi-

Detractores deberent ab orbe eliminari.

Vanæ Coloni abiectiones.

cula

cula ſunt; licet enim in Oceano Calleco diutiſſimæ procellæ eſſent, nemo ad milleſimam partem longæ adeò nauigationis tempeſtate iactaretur. Eſt enim illud mare difficillimũ pro nauigatione ad Æquinoctialem plagam capienda; pro reditu verò in Hiſpaniam, adeò facile, vt nihil maius eſſe queat. Arbores verò non ad Inſulas Fortunatas, ſed per inferiorem Æthiopiam longè ſub promontorio Sperinoceras ob æſtum contrarium, ob ventos ſemper aduerſos deferrentur, nauigantibus enim à Gadibus Herculeis ad Æquinoctium per Inſulas Fortunatas, ſecundæ ſemper aurę flant, Redeuntibus verò in Europam per eaſdem Inſulas venti adeò contrarij ſunt, quod ipſi nauium præfecti tutius exiſtimauere ipſi Septemtrioni, & nauigationi maximę tempeſtati obnoxię ſe committere, quam in mari molli, & tranquillo ad longiſſima poſteà tempora cum vento, & ęſtu contrario obluctari. Deſinant ergò inuidi mortales virtuti magni hominis detrahere; ſi enim Danaus Beli filius, qui Argoum imperium olim fundauit, ob Europam gẽti Ægyptię repertam celebre nomen adeptus eſt, ſi Iaſon ob Colchidem toti, Gręcię recluſam, ingentem laudem meruit, ſi Hercules ob Tyrannos domitos, ob monſtra à to-

Iter difficillimum ad æquinoctiũ.

Coloni laudes.

Danaus.

Iaſon.

Hercules.

to



to orbe delecta, ob orbem longè, & latè peragratum immortalem gloriam conſequutus eſt, lõgè maius nomen, longè maiorem laudem, longè maiorem gloriam è nouo orbe toti poſteritati aperto, è populis nunquam anteà notis, è nouis ſyderibus in alio Cœlo detectis, ipſe Colonus, quã illi tres magni anteà Heroes reportauit. Qui non relatione hominum inanium, non conſilio Callecorum nautarum; ſed certa ratione, certo Cœli, & terrę circuitu motus eſt, ad talem in longo Oceano expeditionem capiendam; ſed iam tempus eſt, vt aliquid de Inſula Hiſpaniola, vt aliquid de beata adeò regionę enarremus.

Colonus Cœli dimenſione motus eſt ad expeditionem capiendam.

O ALE-

# ALEXANDRI GERALDINI EPISCOPI.

## LIBER DECIMVSQVINTVS.

CONSVEVERE olim Pręſides prouinciarum, conſueuere ipſi Conſules, qui publico patriae nomine prouincias adminiſtrabãt, rationem omnium populorum, qui ſub magiſtratu eorum continebantur, ſummis Romanorum Imperatoribus, qui in vrbe erant, vel ipſi Reipub. vno quoquo anno reddere. Nunc (Beatiſſime Pater) longè ęquius eſt, Pręſules omnes, qui ſub vario per orbẽ axe, qui ſub vario per regiones cardine agunt, tibi gentis humanę Paſtori, tibi vicem Æterni, & Immortalis Dei tenenti, rationem patrię, & populi ſui publicè exhibere. Tu enim pro regno Cœleſti plebi tuę tribuendo, quod ſempiternum eſt, illi verò pro gloria huma-

Conſules, & præſides Prouinciarum de populis rationẽ reddebant.





mana gentibus terrenis impendenda, quae breuis, & caduca eſt, elaborabant. Itaque (Pater Beatiſſime) quo bono Inſula tua Hiſpaniola floreat, qua orbis parte ſita ſit, qua inſtitutione mortales eius egere, & qua poſtea nece occubuere, enarrabo. Tuam enim dixi, nam tua eſt. Alex. VI. Pont. Max. Inſulam Hiſpaniolam, totum latè Æquinoctium, & omnes ſub toto hoc Cœlo regiones, Regi, & Reginæ Hiſpaniæ dono dedit; cum enim hæ terræ à Rege Luſitano è demenſione quadam Cœli, & Terræ inter ambos Reges facta, repeterentur, Idem Pontifex, Iure ſuo in medium adducto, quo patebat omnes terras non anteà notas, & in Oceano repertas, quæ fidelium Chriſti non eſſent, ad ſedem pertinere Romanam, omne ab vtroque Rege bellum amouit; Iure igitur tuam eſſe dixi, cum publico ſedis tuæ beneficio Regi, & Reginæ Hiſpaniæ data ſit; ſed vltrà eundum eſt. Eſt Inſula Hiſpaniola (Beatiſſime Pater) plagæ Æquinoctiali coniuncta, quæ forma quadrata agit, niſi quod ſiniſtro per Septentrionem Latere longo, & obliquo planè ſpacio ad tertiam partem Inſulæ introrſum, nec multum diminuitur. Longior aliquantulum, quam lata, vtraque Hiſpania maior eſt. Hic amęniſſimæ valles, latiſſima plana, multiplici arbore plena, al-

Alex. VI. Inſulam Hiſpaniolam, & totum Æquinoctium Regi, & Reginæ Hiſpaniæ dono dedit.

Situs Inſulę Hiſpaniolæ.

tiſsimi montes, cliuo ſemper viridi, varij fructus ſunt, tamen nullæ herbæ, nulla gramina, nullæ arbores eo modo, quo noſtræ ante aduentum Coloni, nullum animal quattuor pedum erat, prꝫter cuniculos, paulò ſupra mures. Nunc verò, quod mirum eſt, viginti annorum curſu, pulcherrimi greges, prægrandia armenta, ingens ſaccari copia, caſsa fiſtula, piper, & multa beatæ Arabiæ aromata ſunt. Nullum genus ſerpentis, nullæ viperæ, nullæ nigræ ranæ, nullum virus in tota regione apparet. Quidam angues ſunt, qui truci effigie ſe retegunt, præpingues, & eſui nobiles. Nullæ aues, niſi virides per aerem volant, columbi, milui, falcones è genere accipitrum, hieraces, qui è Cimbrica Cherſoneſo in eam Inſulam Europa, & Aſia maiorem certa parte anni deferuntur, per totum planè Æquinoctium vehuntur, & ad vicinas longè Inſulas volando penetrant. Perpetuum ver, perpetua æſtas, nullus dies ſine ſole currit, parui imbres, ſecundo, vel tertio menſe vno momento deſunt, magnæ in Aprili, & Maio aquæ ſæpè ſunt, maximæ menſe Iulij, Auguſti, & Septembris pluuiæ cadunt, tremenda in toto Cœlo tonitrua tunc quoque ſe pandunt. Quo tempore antequam ſanctum Chriſti noſtri Sacramentum per templa Chriſtiana colloca-

Animalibus quadrupedibus caret.

Angues optimi ad edẽdum.

Columbi plurimi advolant.

Perpetuum ver, & æſtas.

tum



tum eſſet, vno quoque triennio, quinquennio, vel decennio, maximi venti, maxima fulgura, ſtupendæ per totum Cœlum tempeſtates oriebantur, quæ aere vbique pallenti mapalia, arbores, & totam planè patriam perdebant, ipſa dolia farinæ, ipſi cadi in littore expoſiti, ipſi patriæ incolæ, qui ad loca patriæ ima, vel per abrupta montium antra non confugiebant, per altum latè aerem ferebantur, cum grandi frugum, cum grandi miſerarum domuum ſtrage. Quam tempeſtatem ipſi populi è caſu foliorum quarũdam arborum præuidebant, & tunc ab optimatibus patriæ homines eligebantur, qui longè, & latè euulgabant, Huracanum breui venturum eſſe. Eo enim nomine publicam hanc peſtem appellabant, in communi adeò malo multæ naues noſtrorum, quæ in portu erant in ſublime elatæ, in ipſo poſtea mari periere. Multi Hiſpani terribiles hominum effigies, tremendas vbique laruas per aerem concurrere videre, quæ omnia corpore Dei noſtri per templa Chriſtiana conſtituto omninò ceſſauere! O miram ætherei Regis potentiam! O miram ſuperæ aulæ pietatem! O miram ſummi Dei miſericordiam, quæ magna vnicuique genti remedia, quæ magna vnicuique populo auxilia, quæ magnam vnicuique regioni opem

Ingentes tẽpeſtates.

Tempeſtates e caſu foliorum.

Sanctiſſ. Euchariſtiæ Sacramẽti miraculum.

O 3 præ-

præſtas, huic patriæ ne nimia populi licentia laſciuirent, ne nimia paſſim libidine deperirent Huracanum dediſti, vt aliquo ſuperæ aulæ metu reprimerentur. Deinde innumerabili palam clementia, qua agis, quo illum remedio euitarent è caſu foliorum oſtendiſti; In Æthiopia quoque ne præuaſta ſerpentum corpora greges, armenta, & totam vbique gentem conficerent prohibuiſti. Quin etiam cum tremenda in toto eo orbe fulgura aſſiduè cadant cõchas purpureas totum illud mare effundere iuſſiſti, vt eo ſe remedio mortales muniant, fulmine enim Cœleſti non tanguntur. In Italia cum innumeræ in Terra Marſorum viperæ in quodam monte coaleſcãt, ea incolis illius Patriæ poteſtas data eſt, quod viperæ eos metuant, & toti apertè genti ſubditæ ſunt. Manu enim capiuntur, nec vllum audent malum cuipiam inferre, in Africa in regione Pſyllorum, vbi Baſiliſcus in nuda patriæ arena oberrat, vbi viperæ adeò immanes ſunt, quod ſubitam exteris populis necem afferunt, vbi ſerpentes nihil tutum eſſe ſinunt, eo Pſylli Imperio in eos viuunt, vt è veſtigio eos interficiant, vt maxima toti vicinæ terræ remedia adhibeant. In Aſia in ora Lyciæ, & in monte Chymera, vbi omnia veneno ſerpentum plena ſunt, eam incolæ

*Peculiaria certarum regionum.*

mon-



montis poteſtatem in eos tenent, vt eo ſe loco minimè mouere audeant, cum eos vident, & quod magis eſt, eis parẽt. In Campania felici cum octauo ab hinc anno ab Hiſpania in Italiam cum Ferdinando Rege traieciſſem, ego rerum antiquarũ ſtudioſus, quarum illa regio plena eſt, apud Baias aſpexi quoddam paruum antrum, in quo vltrà medium eius, ſignum á gente Romana eo tempore factum erat, quo ipſi Quirites toto orbe potiebantur, quod ſi qui illud pertranſibant, eo quamprimum corpore afficiebantur, ea quamprimum mentis obtuſione, quod nullum magè ſenſum, nullum magè iudicium, nullum amplè ſpiritum tenebant, & niſi corpora eorum è veſtigio in propinquum ſtagnum merſa eſſent, mortua omninò remanebant! O immenſa æterni Dei charitas! O inenarranda æterni Regis bonitas! O ineſtimabilis vllo modo clementia ſuperni Cœlorum Principis, qui non credenda vnicuique malo, vnicuique damno remedia præſtat, qui non putanda cum genere humano pietate viuit, poſſent aliqui ſubdere cur ea incommoda gẽti hominum mortali Deus prębet. Quibus ego reſpondeo, Deum Optimum Maximum innumerabilibus debere moleſtijs iure homines exercere. Si enim omnia per orbem fauſta, omnia vbi-

 que

que beata eis currerent, ea quidem crimina, ea quidem facinora , ea ſcelera coaleſcerent , quod nulla in aliqua regione facies virtutis appareret . Sed ad itinerarium meum , à quo me nimium ſeiungo , iam reuertar . Magna adeò vbertas , magna adeò Hiſpaniolæ Inſulæ bona ſunt , vt nō facilè referri queant. Mala enim Medica, Citrea, Punica, Chryſomela toto anno è ramis pēdent. Cæteræ arbores cōtinuos fructus, continua poma habent, plura tam vna anni parte, quam alia, & vites pari modo botros emittunt, pepones ſemel ſati ad quintum annum durant, cum maiori quolibet anno prouentu , poſteà ſiccantur. Ocymum, & reliqua hortorum olera ſemper virent, & omnia ſemina, omnes plantę ab Europa allatæ ſunt . Nam ante aduentum Coloni nullos fructus è noſtris , nulla olera hæc terra procreabat; ſed priuatos , & ſuaues à ſe fructus, emittebat, qui alia forma, alia effigie, quam noſtri erant, quorum plantas cum magna ad Beatitudinem tuam cura in Italiam afferre faciam , verùm ignoro quid referam de tritico , ſeruntur frumenta , & ab vno grano plurimi è veſtigio culmi oriuntur in quorum cuſpide longiſſimæ ſpicę ſunt . Inde è ſingulis internodijs multi procedunt rami, in quibus nouæ quotidiè ſpicæ naſcuntur , &

Bona non credēda Inſulæ Hiſpaniolæ.

Suaues fructus terræ Hiſpaniolæ.

Tritici vbertas.

pri-



prima ſpica nondum matura recentes omni parte ſpicę pullulant , quarū maturitatem operiri longum videretur, & veram elicere meſſem, labor Siſiphius eſſet. De vino idem eſt, ponuntur malleoli, & ſecundo anno præalta vbique tabulata complent , quo horti, quo villæ, quo læta populi viridaria ſunt, & ad quintum annum, cum maiori ſemper multitudine racemorum . poſtea feſſæ vites ad quartum plane annum , nihil edunt , tamen in ſolo non longè à Ciuitate ſancti Dominici duas, & vberes vno anno fęturas præbent , è prima optimæ vuæ ſunt , tamen vinum duraturum toto anno, ne aceſcat, non credo exprimi poſſe, è ſecunda aciduli racemi cum ea , qua anteà, vbertate , ſuccedunt . Multi agricolæ dicunt montana patriæ loca adeunda eſſe, quæ ea luxurie minimè agant, qua plana , & valles . Ego tamen credo diuiſas eſſe frugibus, hærbis, graminibus , & floribus regiones , & hanc terram habere panem à natura datum, qui è radicibus eſt, tamen cum nullam operam agriculturæ dederim, nihil audeo veluti certum aſſerere ; niſi quod ſi triticum, & vinum ferret , hæc patria eſſet omniū in toto orbe beatiſſima . Quædam arbores ſunt magnoperè odoræ , quædam ſub cortice nigræ , veluti ſępia eſt, quædam rubeæ, & ex ijs omnibus per-

Malleoli ſecundo anno maximi ſunt, & poſt quartum annum nihil emittunt.

Duas in anno feturas vites edunt.

panis e radicibus.

pul-

pulchræ vndique tabulæ dedolantur, quędam adeò magnę, quod è trunco vnius prælongam, & latam planè cymbam conficiunt, quædam magnos, eo modo ramos emittunt, quod grandes ad longum ſpatium vmbras faciunt, quædam ſine vllo ramo ad longum per aerem tractu ſe extendunt, & in ipſo poſteà vertice paruos ramos‹ & folia explanant, quæ ſpiſſa, & ſtricta omni loco folia, & ramos habent, & ſolos extra fructus cum mira pulchritudine exerunt, qui ſuauiſſimi ſunt, & vocabulo à gente Hiſpana indito, mammei nominantur; ſed ad alia bona eundum eſt.

Fontes.

Fontes, & riui vbique nitidi ſcaturiunt, parua, mediocria, & grandia flumina, omni loco, quo neceſſe eſt, veluti opus naturæ mirabile, ſe retegũt, referta piſcibus, & magnis cãcris, quin etiam omni parte Inſulæ paulum vda ebulliunt.

Portus.

Portus inſignes toto littore, quo maria ſe extendunt, hinc, inde patent. Greges, armenta, & omnia demum animalia, plures fotus, & maiores, quam in tota Europa edunt. Lacus, & ſtagna plurima, & maxima ſunt, cum vario genere piſcium, inter quæ in vno nullum inueniũt fundum; In remotiſſima Inſulæ parte Septemtrionem verſus mons eſt altiſſimus, & omninò inacceſſibilis, vbi homines ſilueſtres ſunt, toto corpore tecto longis vil-

Homines ſilueſtres.





lis, præterquam in ipſis pedibus, genibus, vtraque manu, & toto quoque vultu, vti in Italia, & Hiſpania per publica optimatũ, & principum atria pinguntur, ij omnia hominum comercia euitant, & ſi quando ad loca plana deſcendunt, & aliquem peregrinum hominem intuentur, ea adeò velocitate ſe in montem referunt, quod à nullo poſſent equo ſuperari. Per loca quoque finitima maximi lacerti per ſtagna ſunt, qui nullam homini vim luce afferũt, ſi tamen in die dormientem, vel nocte vigilantem reperiunt, eum ore pendulum indè exportant, & deuorant.

# ALEXANDRI GERALDINI EPISCOPI:

## LIBER XVI.

HÆc habui (Pater Beatiſſime) quæ de ſolo Patriæ enarrarem, quæ tot, & tanta ſunt, quod ſi recto omnia iudicio ſcribere voluiſſem, longo in immenſum volumine eguiſſem: eſt enim res quæ longa vnius hominis vita nullo modo poſſet comprehendi, nec aliquis eam rem crederet, niſi coram vbique intueretur. Nunc ad incolas patriæ eundum eſt, erant (Beatiſſime Pater) ij mortales vicini populorũ Inſulæ Hiſpaniolæ plane pij, in lege naturæ viuebant. Nullam alicui vim inferebant, matrimonia obſeruabant. Summum Ius æqui, & boni menti innocuæ affixum nullo vinculo, ſed quodam animi bono erat. Habebant Regulos pij populi, qui fronte lata,

Deſcriptio populorum Hiſpaniolæ.





& plana, cum aluo materna egrediebantur ex induſtria facta in publicum prodibant, vt venerabiliori per populum effigie agerent, quos miro cultu proſequebantur, nec vlla bella, niſi pro tutando regum limite, eis erant; omnia habebant communia, præter domos, & priuata opificia; minimi cibi erant, Potus aqua; panem è radicibus faciebant, quæ ſemel ſatæ ad longum tempus durant, & ſalubre toti genti nutrimentum præbent, tamen aqua ex eis expreſſa, mortem affert. Quædam etiam genera arundinum habent, è quarum internodijs rami cum botris candidis leguminum, & magnitudine, & rotunditate cicerum emittũtur, è quibus validum panem, & validum pro forti ſtomacho nutrimentum conficiunt. Obſonia erant magni cancri, magni lacerti, piſces ab Oceano aduecti, vel è flumine, vel è ſtagnis, & minuti cuniculi, Monoxylla tenebant excauata acutis lapidibus, optimè fabrefacta, ſed longa, & nimium anguſta, & ob eam rem periculo plena, quibus ob piſces mari, & flumine habendos, vtebantur, ipſi tamen ea ſcientia natandi, qua agebant, nullum periculum obibant. In graui enim Oceani æſtu cum euertebantur cum incredibili celeritate vrinando, ipſa ſupra Mare Monoxylla reducebant. Credebãt animam

Communia omnia habebant præter domos.

Credebant immortalitatem animæ.

eſſe immortalem,& propterea nullum deſiderium mortuorum apud eos erat, publica reſponſa à Dijs eorum capiebant, qui immani paſſim effigie ſe offerebant. Cupiebant enim numina tartarea timeri, non amari, Patres tamen eorum vnum principium, vnum Cœli, Terræ, & Pelagi Regem norant, vt antiqui eorum Reges mihi retulere. Extera bella cum Anthropophagis gerere inceperant, qui paulò ante acceſſum Coloni, vicinis, & remotis Inſulis nefanda ingluuie abſumptis ad prędam popularium meorum cum vario carinarum genere, traijciebant, cōtra quos, Inſulares mei innumerabili hominū multitudine coadunata, cum venenatis ſagittis,cum fundis, cum longis ſudibus, cum telis in cuſpide obuſtis accurrebant, & tunc qui è populo meo capiebantur à patria ſua ablati in crudelibus Caribarum menſis apponebantur, vel reſecti ad genialia patriæ tempora reſeruabantur, qui verò Anthropophagorum ab Inſularibus meis prehendebantur ſimplici morte cōficiebantur,& cadauera humi demandabātur, tanta populo meo pietas à natura inerat, & tamen cum miti adeò gente, eo modo ſæuitum eſt, quod partim eorum cum coniugibus, liberis, & tota familia coacti antiqua ab alueo flumina mutare

Effigies quæ numina eorum apparebant.

Vnum Deū Regem credebant cœli & terræ.

Bella Caribarum.

vt



vt aurum indè eruerent, cum nullo planè alimento,niſi paucorum piſcium nutrirentur,in ipſo labore peŗiere,partim in longo opere feſsi, & ob eam rem vulnere confecti ſunt, fœminæ fœtæ, cum quibus aliqua vtendum indulgentia erat,cum onera longè maiora ſubirent,quam vires earum tolerarent,abortu emiſſo,ſtatim cecidere, partim hominum per remota montium loca aduecti, cum ſolo cancrorum victu ſuſtentarētur, in medio rerum conatu defecere,vel cum nulla in longo labore quies præberetur, animam inopinato emiſere, vel ab ijs, qui miſeræ præerant genti, ferro per viſcera adacto, ſubitò ſuccubuere, In regione enim plena incredibili hominum multitudine cum omnia in vario metu eſſent, & populo ad remotiſſimos montes confugiente, panis è radicibus deeſſet, & frumentum, quod è Bætica aduehebatur, vix ipſis patriæ Hiſpanæ gentibus ſufficeret,omnia tragica fuere,'& ipſi reguli, ipſi è primaria nobilitate viri, bonis exuti,cum aurum, quod non habebant, fateri cogerentur, inter dura tormenta animam exhalauere.Aurum enim inter priuata bona apud eos erat, Quare innumeri,vt crudelem adeò ſeruitutem euitarēt, vnà cum coniugibus,liberis,tota familia, & gente, violento ſe letho confecere. Nam ij mor-

ta-

tales è communi maiorum inſtituto ignominiam omni neci anteponunt, & nullam eſſe mortem arbitrantur, vbi anima non moritur. Addo, quod multi è noſtris Hiſpanis, vel nuda innocentiſſimorum hominum corpora cædebant, pro minima re. Nec mirùm; adhunc enim cardinem mundi eo tempore, quo hæ terræ inuentæ ſunt multi homines ob furta, ob homicidia, ob peculatus, ob latrocinia, ob ſacrilegia, ob teſtata cum genere humano maleficia infames traiecerant, vel ij, qui auribus, vel aliquo membro mutilati in publicum prodire in patria eorum non audebant, vel ob publica per populos ſcelera domi eſſe non poterant. Hæc, & alia plura eo modo acta ſunt, vt vltrà decies centena hominum millia extincta ſint. Nunc (Pater Beatiſſime) nefarij illi mortales, qui in homines, nudos, inermes, in lege naturæ viuentes, adeò ſæuiere ad templa Chriſtiana confugiunt, & cum pij, ſancti, & æqui ex omni religione viri, hæc facinora, cum genere humano commiſſa eſſe obſtupeant, & cum eo genere hominum, apud quos nullum anteà nomen Chriſti peruenerat, & omni crimine, niſi illo, quod cum iniuria, & detrimento gentis humanæ fiebat, liberi erant, ac propterea illos abſoluere reformident, vndè in magno ob eam rem labore illi po-





puli ſunt, operæ precium erit, Te æterni Dei Vicarium, Te populi Chriſtiani Paſtorem, Te fidei retinendæ Præſidem imperare, vt conſiderato genere damnorum, conſiderata miſerorum ærumna, conſiderata auri mole, quā Hiſpani è priuato calamitoſiſſimorum hominum labore conſequuti ſunt, certam ad me partē, pro templo Epiſcopali, pro Æde primaria Diuæ Mariæ in Vrbe Sancti Dominici condenda, pro nomine Chriſti in hac parte mundi propagando, vbi nunquam anteà tranſierat deferant, quam ego ſub poteſtate eorum hominum conſtituam, qui integritate, religione, vita, magno in Deum timore, teſtata apud gentes pietate viuunt, ac eo modo operam dabo, cum eo, quo Præſulem templi ſtudio decet, cum ea cura, qua Antiſtitem planè Chriſtianum oportet, vt Tēplum magnoperè illuſtre, ad quod omnes à toto Æquinoctio populi, ad quod omnes à terra Antipodū mortales, qui Templa nullo ſæculo Chriſtiana conſpexere, nec Deum aliqua ætate Chriſtum audiuere, nec longè hinc ſunt, cum admiratione concurrant, & aliquo in fidem noſtram amore moueantur, ad quod omnes Europæ, Aſiæ, & Africæ nationes, quandoque in hunc cardinem traijcient; & cum nomen Beatitudinis tuæ per parietes ſculptum

cernent, cum inſignia Sedis Romanæ, ibi retenta cõſpicient, Sanctitatem tuam vehementiſſimè commendabunt, quod nobile adeò opus in cardine à toto orbe Superiori ſemoto effecerit. Nam Ægidius Gonſalus homo è gente Ibera clarus, vt totum orbem huic patriæ apertum faciat, ad illam Inſulam Europa, & Aſia maiorem adnauigauit, & eam cum curribus, armentis, gregibus, tormentis, & magno hominum numero, ea parte, qua illa anguſtiſſima eſt, prætergreſſus eſt, nauium claſſem in alio Oceano ſtruit, vt vndecim mille Inſulas, quæ ab Ariſtotele referuntur, detegat, & poſteà Bactrianos, Nabatheos, auream Cherſoneſum, Indiam, Taprobane Inſulam; quæ vltrà Gangem eſt, Perſidem, Arabiam, & totam planè Aſiam, & Africam Inſulæ Hiſpaniolæ peruiam faciat. Itaque (Pater Beatiſſime) foue hoc Templum, quod à toto tandem orbe adibitur, quod publico Sanctitatis tuæ nomine erigetur. In eo enim ſublimia Pontificatus maximi tui elogia, excelſa familiæ tuæ monumenta, inclyta patriæ tuæ nomina vbique apparebunt, vt Deus optimus maximus Sanctitatem tuam in altiſſimo populi Chriſtiani culmine, ad longiſſima tempora tueatur.

Hoc Itinerariũ meum in magno Ocea-





no inchoatum, in Vrbe Sancti Dominici finitum eſt, eo tempore, quo multæ, & magnæ apud Ingatanum vrbes inuentæ ſunt, & multa per Æquinoctium, & Antipodes Oppida; & Carolus Romanorum Imperator è Germania in Hiſpaniam traiecit, & gentem vbique rebellem domuit. Quarto decimo Kal. Aprilis M.D.XXII.

*F I N I S.*

# VITA
# ALEXANDRI GERALDINI
## AMERINI
## EPISCOPI S. DOMINICI
### Apud Indos Occidentales.

*AVCTORE*

ONVPHRIO GERALDINO

DE CATENACCIS AMERINO I. V. D.

D. ALEXANDRI ABNEPOTE.

ALEXANDER GERALDINVS Amerinus maiorum veſtigia ſequutus, adoleſcens in patria ſub Griphone Philoſopho educatus, omni litterarum genere abundè refertus, in Hiſpaniam cum Antonio

fratre proficiſcitur, ſuaque conſuetudine politioribus litteris; & poëſi maxime imbutus, ac paulò poſt quam in ea ſubſtitit, primùm armis contra Luſitanos Hiſpaniam vlteriorem inuadentes ſe ſe dedit, e caſtris deinc ad Regiam aulam, à poculis Eliſabethæ Reginæ fuit, mox fratre Regio Legato, & Oratore deſtinato à Ferdinando, & Eliſabetha ad Franciſcum Brittonum Ducem, eumdem comitatus, munere & ipſe Regio fungens, ij vtroque obito ad ſuos Reges ſimul reuerſi; Tum ipſe rebus ſacris addictus Protonotarij munus ſuſcepit, & ſuccedente tempore Epiſcopus Vulturarienſis à Pontifice renunciatus, & à Rege Hiſpaniarum maior Cappellanus eligitur, à quo ad Pontificem Max., & Principes varios miſſus eſt.





Fœdera plura cum Alexandro Sexto Pont. Max. Cum Maximiliano Cæſare, cum Republica Venetorũ, cum Duce Mediolani compoſuit, per quæ ſuo Regi pulcherrimæ, maximæque victoriæ obuenere. Ad Conſilia ſanctiora à Regibus Ferdinando, & Eliſabetha adhibitus, dũ Chriſtophori Columbi expeditio proponeretur omnibus fere reluctantibus, & eam vti temerariam reijcientibus, varijs argumẽtis compreſſis, pacatiſque animis diſſentientium Mathematicis rationibus, atque demonſtrationibus Columbi conſilia iuuit, & ita effecit, vt tantum opus à Regibus ſuſciperetur, & expeditio iniretur, amicoque Columbo omni ope auxiliatus eſt. Ceterum dum ſuæ virtutis, & Pietatis non obſcurum argumentũ pręber;

erudiendæ Regię proli Ferdinandi pręfectus eſt, quo munere viginti totos annos maxima ſui laude functus, Reginas quatuor Sanctiſſimis moribus, & Regijs ornamentis inſtituit, videlicet Eliſabetham omnium natu maximam Ioanni Regi Luſitaniæ filio nuptam; Mariam Emanuelis Regis Luſitaniæ vxoré, Catherinam Henrico VIII. Angliæ Regi traditam, ac Margaritam Auſtriacam Maximiliani Imperatoris filiam, Ioannis Principis Hiſpaniarum vxorem; quarum omnium nubili iam ætate cōnubia ſanciuit, eorumque iura, & capita digeſſit, Varijs propterea itineribus ad Reges ſuſceptis; exinde in Angliá à Regina Eliſabetha miſſus, vt ibi Reginæ Catherinæ fidam operam nauaret; vbi Protoſacerdotis Regum hono-





re decoratur, & Nuntius Apoſtolicus à Rege expetitus; ob immanes ſimultates poſtea, & iurgia inter Regem, & Reginam exorta, cum parum gratus ea in aula ſibi videretur eſſe, diſceſſit, & in inferiorem Germaniam ad Margaritam Auſtriacam, olim alumnam contẽdit, à qua honorificentiſſime exceptus in oppido Bruxellis, ab ea Romam inter nuncius ad Leonem X. Pont. Max. eſt miſſus; cumq. eo in itinere sũmis in Alpibus Maximiliano Cęſari Italiam petenti obuiam proceſſiſſet, benigniſſimè habitus, ab eo ad Leonem X. ad Rempublicam Flórentinam, & ad Vrbem Neapolim Orator allegatur, atque Pontifici proponitur à Carolo Rege ad Epiſcopatum S. Dominici: Legationibusque Cæſaris Romæ, Neapoli,

Florentiæ peractis, à Leone X. Pont. Max. ad eumdem Cæſarem, & omnes Reges, & Principes Chriſtianos iterum Legatus mittitur pro fœdere inter Chriſtiani orbis capita cóciliando aduerſus Selinum Turcarum Tyrannum. Ab Vrbe digreſſus ad Franciſcum Primum Gallorum Regem pro obeunda Apoſtolica Legatione primum contendit ab eoque, non minus hilari vultu quam decenter exceptus: Inde ad Maximilianum Cæſarem Rhenum vltra in oppido Sicambro moram trahentem ſe contulit, reque Pontificis rite peracta; eodem conſilio in Brittaniam ad Henricum VIII. profectus eſt, poſtea ad Scotiæ; & Daciæ Reges, tum ad Regẽ Hungariæ, & ad Regem Ruſſiæ peruenit, poſtremò in Hiſpaniam reuerſus ad

Ca-



Carolum Hiſpaniarum Regem acceſſit, & apud hos Reges Pontificis mandatis ſedulò expoſitis, orationibus coram ipſis, & Proceribus habitis, illos ad obſequendum Pontifici, ad ſubleuandam rem chriſtianam, fere collabentem, ad hoſtes Turcas obterendos omni conatu hortatus eſt; His peractis cum vix in Europa pro Republica Chriſtiana magnum aliud facinus patrandum ad eius pietatis vota ſupereſſet, laborum maiorum pro Chriſti nomine propagando cupidus anno 1520. Hiſpali ſoluens annuente Pontifice ad Indos in fide erudiendos ad Vrbem S. Dominici ſui Epiſcopatus ſedem, in Inſulam Hiſpaniolam properauit. Primus ibi Antiſtitum Chriſtianorum, in itinere gentium mores, quas adiuit

ſeru-

ſcrutatus eſt, & diligentiſſimè deſcripſit, Religiones, & Populos, illorumque antiqua monumenta exquiſiuit, iura collegit, atque in volumen ſui Itinerarij retulit. Vbi tandem ad Indos appulit, à prædicatione nunquam ceſſauit, ſacris pijſque moribus, & inſtitutis plebem ſibi commiſſam erudiuit; Templa more Chriſtiano conſtruxit; Sacerdotia inſtituit; Iura diſpoſuit; Sacrorum cultum adauxit; Officia ordinauit; Chriſti Gloriam propagauit; laboris nunquam expers in Ciuitate S. Dominici magna Sanctitatis fama Septuagenarius obijt, Anno 1525. Relictis multis lucubrationum clariſſimarum monumentis in quibus non minus Pius quam Doctus extitiſſe probatur. Ea videlicet ſunt.





Itinerarium ad Regiones ſub Æquinoctiali plaga conſtitutas.

Epitome, Conciliorum ab orbe Chriſtiano.

Summorum Pontificum acta.

Sacrorum carminum lib. vigintiquatuor.

Epiſtolarum lib. duo.

Officia varia Sanctorum.

Volumen Orationum ad Principes Chriſtianos pro bello contra Turcas mouendo.

De Ijs, qui funguntur à ſecretis Principum.

De Educatione nobilium puerorum lib. vnus.

De Educatione nobilium puellarum lib. vnus.

De Officio Principis.

Elogia Virorum Illuſtrium Romanorũ ab Ænea vſque ad Pom-

peium Magnum .

Vita S. Benedicti Sapphico carmine .

De Quantitate Syllabaria , & Carminum compoſitione .

Inuectiuę Liricę in Malam fœminam .

De Latij, & Romæ laudibus , & antiquitatum pręſtantia Elegiaco Carmine.

Monumenta Antiquitatum Romanarum , e veteribus inſcriptionibus recollecta ſuis itineribus , & ſtudio .

Vita S: Catherinæ Virginis , & Martyris. Carminibus latinis .





# SERMO ALEXANDRI GERALDINI EPISCOPI S. DOMINICI

## Ad Populum ſuæ Ciuitatis.

CVm Eccleſia noſtra ( nobiliſſimi , & Cariſſimi Fratres, & Filij mei) ad longa adeò tempora ſine verò Paſtore , ſine vero Patriæ patre , ſine Præſule ab æterno , & immortali Deo conſtituto fuerit, quid inde ſubſequi potuerit? longè magis vobis omnibus ( qui præclara prudentia, illuſtri iudicio, & teſtata multarum rerum notitia floretis) quam vlli alij compertum eſt . Ego vero Patriæ veſtræ Pontifex, cui immeritò tantum onus attributum eſt, huc veni , vt populum mihi demandatum, vt gregem priuatim meum, vt prolem mihi peculiarem à primo tempore deſertam vero Antiſtite, à prima inſti-

tutione Eccleſiæ viduam vero Epiſcopo paterno amore retineam, & eos qui à vero itinere aberrauerint in rectum iter, & rectum Eccleſiæ tramitem reducam. Verùm (cariſſimi Fratres) Verùm; Amatiſſimi Filij (plurimum ego omnium hominum ordinibus huius patriæ noſtræ publicè & priuatim debeo, eo) quod meum in hãc vrbem aduentum tantopere deſideraſtis, & magno adeò cum ſtudio à Carolo Cæſare D. noſtro efflagitaſtis; propterea nunc; quod ipſe Deus ad amatam diu ſponſam, ad optatam ſedem, ad deſideratum diu Templum me trahit, polliceor in rebus patriæ publicis, vbi aliqua templi noſtri auctoritate opus erit, me omnem opem, quam potero vnicuique veſtrum allaturum eſſe, vel exigua prudentia mea nihil omninò prætermiſſurum, quod ad peculiare commodum, ad publicam vtilitatem, ad commune ciuitatis noſtræ bonum cedat. In rebus vero diœceſis noſtræ, quod ad rem ſacram attinet diu, eſt quod in animum meum induxi me omnibus viribus elaboraturum eſſe, vt omnia ad pium, ad ſanctum, & æquum planè iter reducantur; Ad quam rem ego indignus nobiliſſimæ Patriæ veſtræ Præſul priuatas, & publicas omnium Religioſorum, & populi mei preces imploro. Nam eo modo om-





nia ad optatum fœlicem, & beatum exitum peruentura ſpero. Præterea, ſi quid apud florentiſſimum Imperatorem Carolum Dominum Noſtrum auctoritate valuero, ſi quid potero, quod ad commune huius Ciuitatis noſtræ beneficium, quod ad generale vniuerſæ Inſulæ compendium cedat, quo maiori poſſum affectu precor, me, veluti Fratre, veluti Filio, veluti Patre, & dicatiſſimo veluti Miniſtro vtamini: Cæterum, ſpectatiſſimi Fratres, & Filij mei, licet res Eccleſiæ ipſi præcipuè Epiſcopo inhærere debeant, penes quem ſupremum fidei regimen ineſt; tamen, quoniam pij quique, & boni Præſules, qui ſancti, quique populorum Epiſcopi, qui vlteriori per populum gradu, quò maiori in Deum obſeruantia vixere, eò maiori quoque ſtudio decori earum multiplici hominum auxilio proſpicere ſatagũt; Vos oratos velim, vt eas vnà mecum gubernetis, me filiali amore emendetis, & omnes Sacerdotes fratres meos, & omnia Patriæ templa, & omnia religioſorum Patrum cœnobia modo commendata habeatis, vt magnum in hoc aduentu noſtro beneficium ſe recepiſſe ſentiant.

# ALEXANDRI GERALDINI CARMINA.

## DVM OCCVPARETVR IN VRBE S. DOMINICI apud Indos in Templo Diuę Mariæ Primario ædificando.

*NVnc ego Templum ſtudeo beatum*
*Magna Reginæ ſuperùm potenti,*
*Atq; cum multo per inane latum*
*Tollere honorem.*
*Et meas vires, animumque totum*
*Spondeo, & magnos pariter labores,*
*Vndique vt digno niteant decore,*
*Omnia plena.*
*Numini magno genitricis almæ*
*Ventre quæ ſummum potuit Tonantem*
*Ferre, ſunt certè tribuenda quoque*
*Grandia multum.*
*Quæ ſupra gentes volitant caducas,*
*Sintque res pulchre ſimiles Olympo,*
*Nilque terrenæ ſubeant ruinæ*
*Omnia mira.*
*Sed tamen noſtrum capiet laborem*
*Illa cum vultu pietate pleno:*

*Nam*



*Nam ſolet totas reſouere terras*
*Fronte ſerena.*
*Et ſolet gentes recreare mœſtas,*
*Pallio ſubter retinere ſancto;*
*Et ſolet turbę miſere vocanti*
*Ferre leuamen.*
*Hæc ſupra celſas renitebit aras,*
*Picta præclari manibus magiſtri,*
*Atque cœleſtis facie beata*
*Oreque miti.*
*Et leget pſalmos veterum probatos,*
*Cum quibus cœlum penetrabat altum,*
*Cum Dauid ſedes ſuperum ſubibat*
*Pectore toto.*
*Nuncius ſtabit veniens ab aſtris,*
*Vndique inſigni radiante vultu,*
*Lilium dextra retinebit alta,*
*Ore decorus.*
*Deſuper magnis radijs Columba*
*Cincta conſiſtet niueo colore:*
*Alites certe ſuperabit omnes*
*Ore notando.*
*Ipſe tum nobis memoranda ſemper*
*Verba Diuini referet Parentis;*
*Nunc aue terras merito per imas*
*Gratia plena.*
*Tu quidem læto ſacra Virgo Olympo*
*Aetheris Regem paries potentem,*
*Vnaque illæſos vteri receſſus*
*Sola tenebis.*

 *Par-*

Parte ſub templi media per amplum
Aeris tractum Cruce ritè Chriſtus
Corpore,& totis manibus retentus
Ipſe manebit.
Siuè ſe dextra paries retendet;
Siuè per partes retrahat ſiniſtras;
Siuè quà templum renitebit alta
Sede,vel ima.
Arte conſtabunt veterum magiſtra
Cuncta preclaro fabricata cultu
Vndiq; & leta pia templa vbique
Luce nitebunt.
Aedis in prima facie ſacratæ,
Quàque conſurgunt lapides quadrati;
Quàque ſe tendunt hominum labores
Arte notanda.
Fronte ſub templi media ſuperbi
Signa Romanæ venerandæ ſedis,
Et ſacrum Papæ diadema fulget
Vndique celſum.
Qui Caput trina redimens corona
Rite ſub cœlo reſidens Latino,
Iura dat toti ſacra nempe Mundo,
Rector vbique.
Inde cum pulchris Aquilæ Tbiaris
Cæſaris partem retegunt ſiniſtram:
Illa magnorum fuerant Quiritum
Stemmata quondam.
Marte qui totas tenuere terras,
Subditum forti pelaguſque dextra





Quà vagi phœbi radiant quadrigæ
Littore vtroque.
At Geraldinæ ſacra ſigna gentis
Inde cum multo veniunt honore,
Sydere interno peramanda multum,
Palladis ardor.
Quæ bonam præbens populis quietem
Bella per gentes remouet tremenda;
Regibus ſanctum tribuit liquorem,
Chriſmaque notum.
Sculpta,cum Præſul foret Vrbis huius,
Nempe Alexander pietate notus,
Qui dedit multis documenta magna
Regibus olim:
Semper,& caſtas coluit Camenas;
Atque Parnaſſi iuga celſa montis
Sæpè ſcandebat,ſociatus illo
Ordine ſancto.

# ALEXANDRI GERALDINI ODE.

## DE ADVENTV SVO AD TERRAS Æquinoctij.

*PEr mare veliuolum, noſtra vltrà ſydera (terra,*
*Venimus incolumes.*
*Sydera per cœlum mutato currere vultu*
*Vndique conſpicimus:*
*Vrſa, per Arctoos longè diſtincta Triones,*
*Hic prope iuncta Mari:*
*Hic quoq. nō reſtuāt Neptuni littora magni*
*Tenta per Oceanum:*
*Hic quoq. iam Pelagi ſe pandūt moſtra pro- (ſundi*
*Turpia, & ore truci.*
*Deterius nihil, & nihil eſt immanius vſquā,*
*Nil adeoque ferum.*
*Humana paſſim comedūt quæ corpora gētis,*
*Vocequæ cum reſona;*
*Nullos eſſe Deos credunt, & numina nulla*
*Aethera per ſuperum.*
*At decus æternū multo qui robore praſtant,*
*Per populos capiunt.*
*Regna per immēſas ſunt hæc diffuſa rotatus*
*Quà volitant oculi.*





*Innumera paſſim ſe pandunt vndiq. gentes,*
*Oppidaque innumera:*
*Atq. venenatas iaciunt per bella ſagittas,*
*Et nece cum ſubita.*
*Frōte truci, nimium Truculēto deniq. vultu,*
*Prælia cruda mouent.*
*Has ego per terras ignoti in cardine Mundi,*
*Has ego perq. plagas,*
*Poſt multos menſes longo poſt tempore veni,*
*Claſſe ſecante mare.*
*Gentibus, & populis ſanctiſſime ſigna ſecutis,*
*Quæ veneranda micant.*
*Et me Paſtorem vitę voluere tenendæ*
*Eſſe ſuum penitus:*
*Pontificem Populi longas legere per oras*
*Innumero ſpatio.*
*Me miſerum tota mundi regione remoui,*
*Quà decus ingenij.*
*Linquere ſorte datū populos, & regna potētū,*
*Quæ ratione vigent.*
*Et nūquā in terras equidē remeabo Latinas,*
*Quà genus, & proaui,*
*Oſſa mea Matris recubāt, vbi marmore tecta*
*Chara mihi nimium,*
*Et pater, & proaui, noſtriq. ex ordine fratres*
*Membra ſepulta tenent.*
*Hic me barbaricas inter ſubſiſtere gentes*
*Sors inimica iubet.*
*Intrabūt quōdā ſacra hæc per templa futuri*
*Noſter vbi tumulus:*

*Atque inſpectãtes noſtros e marmore vultus,*
*Stemmata celſa Domus ,*
*Terrarum dicent tali ſubſiſtere parte*
*Hic homo natus erat :*
*Vrbe diu præſul quondam permanſit in iſta,*
*Nomine cum celebri :*
*Et docuit vulgo Chriſti documenta beati*
*Iure ſequenda fore .*
*Maxima per noſtras induxit cõmoda gẽtes :*
*Paſtor vbique pius .*
*Hic reſerauit iter lati per ſydera cœli*
*Gentibus,& populis .*
*Et merito viuet magno cum nomine ſemper*
*Qui bona tanta tulit .*
*Sed noſtras penitus laudes numerare relin-*
*Quæ mihi ſunt odio . (quam,*
*Ad me cum magna certe ratione redibo ,*
*Quod mihi iure licet ;*
*Qui varios caſus per totas vndique terras,*
*Per pelaguſque vagum ,*
*Ac animo intrepido diſcrimina cũcta ſubegi,*
*Quæ renuunt reliqui .*
*Me ſuperi nimium radiantia numina Phębi*
*Heu penitus lacerant ;*
*Humida terra nocet,proſũt alimẽta nec vlla,*
*Pomaque nulla placent .*
*Hic mihi nẽpe ſeni funus iam fata maligna ,*
*Sors,& amara parant .*
*Debebam noſtros populos à cardine motos*
*Quærere per pelagus .*

Ac



*Ac alia auerſi multum per ſydera cœli*
*Cum rate vela dare .*
*Fata valẽt nimium,fatis agitamur iniquis ;*
*Sic tolerante Deo :*
*Et ſæpè in toto pariter nos cernimus orbe*
*Quid mala fata ferant .*

LEO-

# LEONI X SVMMO CHRISTIANORVM PONTIFICI,

## ALEXANDER GERALDINVS, EPISCOPVS VVLTVRARIENSIS

F. S. P. D.

VENI (Sanctiſſime, & Beatiſſime Pater) ab vltimo plane Occidente, in quo quattuor, & triginta nobis anni pertranſiere; in quo meliora omnia ætatis noſtræ tempora in quatuor Reginarum inſtitutione pręteriere: Verum antequam vltimo Iberiæ cardine egrederer, Cantabrico, & Gallico Oceano claſſe adnauigato ad Carolũ Regem ętate puerũ, altitu-

di-



dine iudicij,& Regio decore ſenem, traieci; qui, & memoria veterum officiorum meorum in Margaritam, Amitam ſuam Maximiliani Imperatoris, Filiam, mulierem omnibus antiqui ſæculi comparandam, & fide mea in Auos Reges cõperta, vehementiſsimè me fouit, & tandem ad Epiſcopatum S. Dominici apud Indos me præſentauit. Quæ ſedes, Pater Beatiſsime, ab omni Europæ Aſiæ, & Africæ limite ſemota, nullum cum aliqua natione Orbis noſtri commercium habet. Nunc ego (Pater Beatiſsime) à poſtremo illorum Morinorum ore iam ſenex, & multa fortunæ varietate quaſſus,ad altiſsimum ſolium Sanctitatis tuæ per inferiorem latè Germaniã contendi, & te ſupremum Populi Chriſtiani Paſtorem vnicum gentis humanæ præſidium, & Æterni Dei Vicarium oro,vt ex Vulturariẽſi, transferãs ad eũdẽ me Epiſcopatũ.Cupio enim,poſtqua malè adeò Reginę meæ ſe diſcipulæ mecum habuere,& alij,quibus benefacta mea tantum profuere in regione Mundi nunquam antea reperta,& ſub ſydere nulla ætate maiorum cognito,viuerę vbi Regi Regũ cauſę operã dãdo,fidẽ ſanctã propagãdo æterna retributione nõ carebo; & ita ſpero magnũ Sedi tuæ Pontificæ incrementum me daturum eſſe, & ingentem ſæ-

culo

culo tuo lucem allaturum. Eſt ſiquidem ea gens innumerabili per Septemtrionem, Auſtrum, & Orientem ſpatio diffuſa, quę Deum effigie horribilem colit; Moſtra immania, cum incredibili animorum metu adorat, & ea habere numina cupit, quæ populum humanum vultu apertè crudo, & truci teneant. Sic quando (Sanctiſsime Pater) aliquod: mihi minimè datum eſt in axe mundi cognito præmiũ, vbi tot, & tam teſtati cũ magnis Regibus, & Principibus labores mei periere, & vbi ipſi Mortales ratione vtuntur, & vbi vera æterni, & immortalis Dei documenta obſeruant, permitte tu (Pater Beatiſsime) cum gente Mundi nullo ſæculo audita, rationis, & conſilij experte, & cum populo extra omnia ſydera noſtra manente, planè, & apertè vitam ducere. Spero enim me effera, & incultu illa mortalium ingenia cum religione emolliturum; barbara omninò corda eorum hominum, qui more belluarum viuunt, doctrina, & prædicatione ſedaturum; & nomen Ieſu Chriſti Domini Noſtri Sanctitatis, ſolijque tui in toto eo cardine ſempiternum effecturum. Vale Pater Sãctiſsime, quem Deus Optimus Maximus in fęliciſsimo iſto Sedis Romanæ culmine ad longa, & diuturna tempora fauſtum, & beatum

red-



reddat. E Colonia Agrippina inferioris Germaniæ Vrbe pridie Kal. Iulij 1516.

## QVÆ EGO ALEX. GERALDINVS EPISCOPVS à S. D. N. ſupplex peto, hæc ſunt.

QVONIAM Populi mei ſub alio Mundi cardine ſiti, nihil cũ Europa, Aſia, Aphrica commune habent, & in eo axe ſunt, ad quem innumeræ à tota plaga Æquinoctiali gentes confluunt, ſupplex oro, vt prænobile Annunciatæ Diuæ Mariæ templum ibi ædificari queat; vt vnum ritu Chriſtiano Iubilæum, & multæ, & magnæ à Sanctitate tua indulgentiæ, quolibet Feſto Sanctiſſimæ Mariæ per annuum curſum concedantur, quas non tantum Inſulæ Hiſpaniolæ populi, ſed omnes Cubę, Diui Ioannis, Americæ Magnæ Inſulæ incolæ, etiã omnes, & operantes ſub eo cœlo conſtitutæ conſequantur; Quædam pecuniarum ſumma pro eodem templo primario Beatiſſimę Annuntiatæ Diuæ Mariæ in Vrbe ſancti Dominici condendo iam antea eſt ſoluta, & ego polliceor in celebri quoque templi mei loco prænobile familiæ ſtem

ma,

ma,& in primario magni oſtij pariete hoc elogium me poſiturum eſſe.

LEO X. PONT. MAX. IN VRBE FLVENTINA ORTVS E NOBILI, ILLVSTRIORI MEDICORVM GENTE, HOC TEMPLVM, IN AXE A TOTO ORBE REMOTO, OB COMMVNE FIDELIVM CHRISTI BONVM FIERI IMPERAVIT.

Igitur ſupplex,& humilis peto,vt ij mortales, qui ſub alio mundi Axe, ſub alio Septemtrione,& ſub alio Oceani tractu in plaga Æquinoctij viuunt, aliquo in fidem noſtram amore moueantur; vt aliquas, & magnas Sanctorum reliquias per Luciũ Geraldinum Nepotem meum ad me mittat, eorum dico Sanctorum, qui euulgato vbique martyrio agunt: Publicum enim ſanctitatis tuæ opus eſt, vt fides tua magnum in alio orbe incrementum capiat. Ego ſub fide, à Præſule templi rite obſeruãda,recipio quod hæ ſub tabernaculo sãctorum litteræ notatæ erunt.

LEO X ROMANORVM PONT.PRIMVS RELIQVIAS SANCTORVM IN HVNC CARDINEM MVNDI A TOTA GENTE HVMANA SEIVNCTVM, IN QVEM NVLLVM ANTEA NOMEN DEI NOSTRI PERVENERAT, EA RATIONE MISIT, VT FERA BARBARORVM CORDA RELIGIONE EMOLLIRET, ET





MVLTAS CHRISTO ANIMAS CONQVIRERET.

Item quoniam Regij in vrbe ſancti Dominici Magiſtratus, me ſuadente nobile pauperum Domicilium condere cœpere, in quo ſoli finitimarum Inſularum populi, ſolæ ſub Æquinoctio gentes, quæ fidei lauacrum recepere, & in hanc Vrbem ſpontè, vel vi aduenere, quæ planè innumeræ ſunt,ſi ęgrotarint,admittãtur, & hoc opus niſi publica Sanctitatis tuę ope iuuetur,ad longa ſæcula iturum eſt: quò maiori poſſum ſtudio precor, vt in die Petri, & Pauli feſto aliquæ Indulgentiæ ibi concedantur. Quod miſerorum receptaculum,licet multa ciuium adminicula habeat, quæ operi conficiendo non ſufficiunt, poſt quam indulgentiæ ſedis Romanæ vbique euulgatæ erunt, totum Beatitudinis tuæ erit, & in magno populi ob eam rem gaudio agent, & hoc à me monumentum in marmore in primo domus oſtio ponetur.

O PII SVB TOTO AEQVINOCTIO MORTALES, O BEATÆ SVB CLEMENTI COELO GENTES, QVAE AD SANCTAM DEI FIDEM VENISTIS, LEO X. PONT. MAX. PATRIA ETRVSCVS, MEDICEVS GENERE, ANIMI MAGNITVDINE, DOCTRINA, ET RELIGIONE MAGNVS, HANC PROSEVIAM VE-

STRAE TAMTVM GENTI, VESTRAE SOLVM POSTERITATI EREXIT. PROSPICITE NVNC QVÆSO SVMMAM VICARII DEI PIETATEM, QVÆ AB VRBE ROMA IN IGNOTVM VSQVE ORBEM VESTRVM SE PROTENDIT.

Præterea (Pater Beatiſſime) illę Deorum imagines, quas ad Sanct. Tuam mitto publica toti Patriæ reſponſa dabant, quæ poſtquam Corpus Dei noſtri per templa noſtra collocatum eſt, loqui omnino deſiere: & aduertat Beatitudo Tua, quod illa effigies, quæ truculento palam ore ſe effert, primarius harum regionũ Deus erat, qui à tota miſerorum hominum mortalitate timeri cupiebat, formæ vero Deorum acu phrygionis pictæ, eorum hominum erant qui pij, & iuſti cum teſtato aliquo per populum merito, vixerant, & communi Sacerdotum, & Patriæ Apotheoſi inter ſanctos connumerabantur; & dentes qui in ore ſe exerunt à cranio pendent humano, quod ſub opere phrygio deliteſcit; & hæ quoque effigies hominum inter ſanctos relatorũ aperta per populum oracula red debant, quæ aduentu Dei noſtri per hanc patriam omnino obmutuere; (Nunc Pater Sãctiſſime) in manifeſto adeò miraculo ſupplex oro, vt Deos à te victos (Præſules enim, & Sacerdotes à Beatitudine





tua conſtituti tantum toti patriæ bonum ferere) in ingreſſum ædis Lateranę, & in veſtibulo Diui Petri, vna cum hoc Elogio ſuſpendi diuino oraculo tuo mandes.

HÆC SVNT IMMANIA NVMINA A LEONE X. PONT. MAX. VICTA, ET AB ALEXANDRO GERALDINO EPISCOPO, BEATITVDINIS EIVS SERVO AB ÆQVINOCTIALI PLAGA MISSA, QVÆ MODO TACENT, ANTEA LOQVEBANTVR.

Item quoniam Hiſpani Colono Lygure Æquinoctialis plagæ inuentore morte ſublato, vltrà decies cẽtena eorum hominum milia, qui boni erant, vario lethi genere confecere; qui cum magna erant cura ad Fidem noſtram ducẽdi, & ad pręſens ſcelerati homines ſecreta patrati facinoris conſcientia mouentur, & ipſi omnium Religionũ Cõfeſſores apertè renuunt eos abſoluere, niſi bona, labore illorum parta, ante à reſtituant, quos vbique peremere: humiliter peto, vt aliqua nummorum ſumma pro Templo maiori Epiſcopali cõſtruendo imponatur, qua ab omni poſtea confeſſione libere abſolui queant; & ego hunc in marmore titulum ſculpi curabo.

O CIVES! O POSTERI! QVI ANTIQVA MAIORVM FACTA SCIRE ANIMO HABETIS, QVÆ MAGNO POSTE-

RITATI EXEMPLO SVNT. LEO X. PONTIF. MAX. GENTE FLVENTINA, ET ROMANA EMISSVS, E FAMILIA MEDICES EX VRSINA MATRE EST, LEO VERI DEI VICARIVS, IVDICIO DIVINO, INGENIO PER TOTVM ORBEM SVBLIMI AGENS, HOS PARIETES MAGNI TEMPLI DIVÆ MARIÆ A SVPREMO ILLO PETRI SOLIO, QVOD IN LATIO EST, ERIGI FECIT. MVLTA ILLIS IMPOSITA, QVI DVRAM CAEDEM IN MISEROS INSVLÆ HISPANIOLÆ INDIGENAS, QVI DAMNATA IN ANTIQVOS SCELERA PATRARVNT.

Item quoniam in Inſula illa quæ Europa, & Aſia eſt maior, quam indocti Continentem Aſiæ appellant, & alij Americam, vel Pariam nuncupant, & in alijs Inſulis, in quibus aliqua habere cõmrecia Hiſpani cæpere, Barbari illarum nationum alios à remotiſſimis regionibus Barbaros in ſeruitute tenere, quos Hiſpanæ genti è mutuo commercio vendere conſueuere, & quidam religioſi per publica fora, per publica templorum pulpita inexpiabile, veluti ſcelus eos emi prohibent; ſupplex oro Sanctitatem tuam, vt apertè imperet ſeruos exleges à gente exlege, vt Chriſtiani fiant, libere emi, & ipſo Fidei laua-





cro plebi licere Chriſtianę publicè ſeruire. Præſtat .n. hominem infidelem emi, & vera æterni Dei lege recepta ſub populo Chriſtiano ſeruitutem tolerare, quã teſtata in ſola Patrię ſuę libertate ſine Fide noſtra frui; quanto magis qui ipſi exleges ſub Imperio exlegum ſerui ſunt. Qua in re Beatitudo tua immortale apud Deum meritum conſequetur.

Item quoniam ſi qua à Vicario meo interdicta emittuntur, ſi qui publica hominum communione priuãtur, è veſtigio per templa eorum admittuntur, & publicæ abſoluuntur, affirmantes interdicta Vicarij mei minimè æqua eſſe; in tanta iniquitate minimè oportet te veri Dei Vicarium ea tolerare.

Præterea, vt memorabile aliquod Sedi Romanæ incrementum, in longo adeò ab Europa Aſia, & Aphrica interuallo afferre queam, & æternũ Fidei tuæ fundamentum iacere, ſupplex peto, vt me Legatum natum, cum ea auctoritate crees, qua Canthuarienſis, & Eboracenſis Archiepiſcopi in Britannia Inſula pro eo populo in lege Chriſti retinendo perpetuò creati fuere; quod quidem, tantò æquius cum Inſula Hiſpaniola fiet, quãtò longius à toto aperto orbe, quam Britannia abeſt. Accedit ad hoc, quod Imperium Karoli Cęſaris in-

ſtabile ſub hoc Axe erit, niſi Præſules Patriæ cum ea ſedis Romanę poteſtate agãt, vt contra profanam late gentem cum teſtato Pontificis Max. Imperio aſſurgere poſſint. Itaque, ſanctiſſime Pater, pro publico altiſſimi ſolij tui honore, ꝓ publica Caroli Auguſti quiete precor, hoc munus mihi concedi. Hæc Patria tua eſt. Ab Alex. enim Sexto Pont. Max. Regibus Hiſpanis attributa eſt. Non ego homo barbarus, non à ratione alienus, alioquin templa vbique tua, & Antiſtites tui ab omni parte cadent. Ego enim homo Latinus ad Cubam, quæ Inſula non longe ab inſula Hiſpaniola ſita eſt, munita claſſe, ad commercia ſub toto eo cœlo exigenda miſi, & tandem cum Præfectus claſsis omnia littora milite armato plena ſpectaret, & ſe à populis recipere nolle intelligeret, nec bellũ cum ea gente decernere tutò ſe poſſe cognoſceret, ad ſubmotas longè Inſulas adnauigauit, & prælio cũ gente nuda cõmiſſo, cum victor euaſiſſet miſſus, & pace compoſita regimen patriæ recepiſſet, inenarrabili auri mole ad Karolum Regem deſtinata, à Gubernatore Cubæ defecit. Nunc Figueroa Inſulæ Hiſpaniolæ Præſes nouam claſſem ad eoſdem populos quæ vrbes oppida, & arma more noſtrorũ militum culta tenent, mittit. Qua reuerſa





ſa omnia memoratu digna Sanctitati tuæ ſignificabo: & vt ad finem Epiſtolæ veniam (Pater Beatiſsime) cum ea quę humiliter peto, & præſenti populo, & toti poſteritati ſub æterno Pontificum Maximorum auſpicio futura neceſſaria ſint; quo maiori affectu, quo maiori poſſum ſtudio rogo, & obſecro, vt ea mihi concedantur, cum præſertim non ad meum priuatum, ſed ad publicum gregis tui commodum; non ad aliquam mihi fortunam comparandam, ſed ad immortale Sedis Romanæ columen, & ad ſempiternam Beatitudinis tuę gloriam petantur: ſcient poſteri te, Pont. Max. generi humano pręſidente, latiſsima ſub alio Cœlo regna, & varia mortalium genera reperta eſſe, in quibus aliqui mediocri ſtatura, aliqui procera; aliqui gigantea apertè agunt. Vbi ad longiſſimum Mundi ignoti tractum ſub regione Auſtrali mortales omnes toto corpore nudi ſunt. Poſteà ſub aere paulum ſeuero, pudenda, pulchro linteo tecta habent, & multi ſolum tunicam interiorem è genere goſſipij vbique phrygiato varijs coloribus tenent; domicilia e tignis erigunt: horridè ſub frigore à Septẽtrione abrepente Vrbes habent ritu Europę munitas, cum mœnibus, piñis, propugnaculis & admirando turrium genere; in quibus

fora,templa,Ædes,& loca Patriæ publica magno ſumptu condita ſunt. Verum Prę-ſules,& Sacerdotes ritu immani homines per altaria Deorum immolant, & tale ſacrificium toti Patriæ vtile eſſe cenſent. Hęc omnia ſuperiori anno detecta nō integrè explorata ſunt, cum noſtri incognitę non auderent genti ſe committere. *Reliqua deſiderantur*.





# KAROLO CAESARI S. P. D.

LÆTABAR paulò antè, Karole inuictiſsime Imperat. te in primo ętatis flore, eo tempore quo alij voluptati, & laſciuiæ incumbunt,& ad vitam adoleſcentiæ temperandam multiplici ductore egent, iudicio ſenili agere,veterem magnorum Principum grauitatem referre, & in ijs, artibus verſari, in quibus ſūmi quoq; antiqui ſeculi Imperatores magna cum laude ſunt verſati: Quod quidem certum veluti præſagium dignitatis futuræ erat. Nunc vero in immenſum lætor, in immenſum, gaudeo, in incredibili palam voluptate, ego te ad altiſsimum columen Imperij; te ad publicum, & ſublime populi Chriſtiani regimen,non ſine numine diuino, electum eſſe. Iacebant res Fidei noſtræ, Karole, florentiſsime Cæſar, & manifeſtum omni parte caſum oſtendebant. Quid enim ſpe-

randum erat, Republica Chriſtiana in vltimo Angulo Europa retruſa, & Selimo Turcarum Tyranno ad imperium Orientale, traducto, niſi manifeſtum excidium vltimæ Europæ breui cernere? Itaque ipſe, Deus ab alto Cęlo Religioni ſuæ conſulẽs, te prima ætate agentẽ ad imperium elegit, vt te genti humanæ præſidente arma, barbara conterantur, & ſublime Conſtantini Imperium ſub poteſtate barbara delatum, Hieroſolyma Vrbs, cum ipſo Redemptoris Sepulchro, & omnia Orientis Regna ſub gladio tuo ſuccumbant. Sic igitur, potentiſsime Imperator, inſtrue prænobile iſtud adoleſcentiæ tuæ decus ad præclara aliqua per Orbem facinora peragenda, & in memoriam reuoca Alexandrum Philippi filiũ, ea ætate qua tu agis, Aſiam aggreſſum; toto Oriente potitum eſſe; excita potentiam tuam toti Orbi teſtatam, ad memorabile aliquod pro Fide, pro lege tua, & pro Deo tuo bellum capiendum: excita virtutem tuam ad immortalem genti tuæ gloriam, & ſempiternum Cæſareæ dignitati tuæ nomen comparandum, & reminiſcere te Cæſarem, & Auguſtum appellari, quod Imperatores latum in toto genere humano Imperium, habuere, & oportere te aliquid opus magno Cæſare dignum efficere. Vale Karole,





vere Cæſar; Cuius Imperium ipſe æternus, & immortalis Deus ab Occidẽte in Orientem, cũ ipſo magni Oceani termino proferat. Ego paulò antè in hanc Vrbẽm deſcendi, nec è longa adeò nauigatione adhuc conualui, ac propterea ingenio meo vndique titubãte, litterę meæ nulla dignitate agent. Vale iterum, altum ſeculi tui lumen. Ex Vrbe Sancti Dominici. Idibus Maij 1522.

# ALEXANDER GERALDINVS, Epiſcopus S. Dominici,

## CAROLO REGI S. P. D.

QVONIAM ſummi Terrarum Imperatores, veluti Conſtantinus, Iuſtinianus, Carolus re, & cognomento Magnus, & reliqui è genere tuo Cæſares, & ſummi Principes ſempiternum in omni gente nomen è præclara munificentia ;in immortalem Deum, in templa ſanctorum vſa comparauere: Nam Conſtantinus vrbem Romam, Bizantium, Coloniam, & totam late Europam, & Aſiam nouis templis impleuit: Iuſtinianus Macedoniam, Pontum, Propontidem, Ægyptum, omnes Vrbes, & omnia Africæ oppida, ſublimi ſacrorum ædificiorum genere ad fretum vſque excoluit: & Carolus è gente Auſtria ortus, nam triennio iam exacto, cũ in Aquiſgrana, Inferioris Germaniæ vrbe, eſſem ad ſepulchrum eius cum magna primariorum hominum frequentia conceſsi, vt ex annalibus eius excerpſi, mille per Europam





templa erexit. Nunc, florentiſsime Carole, cum te Principem noſtra ætate maximum cernam, nemini illorum virtute antiqua, & altis meritis ceſſurum eſſe, á te ſupplex peto, quoniã Celſitudo tua duo in Vrbe S. Dominici domicilia habet, & ego Epiſcopus nullũ tugurium, nullum tegumen habeo, vt vnum ſedi meæ Epiſcopali domicilium è tuis des, ac eo modo ipſe Deus, cui altiſsimum in Mari, in Terra, & Cœlo imperium ſubeſt, iſtam adoleſcentiam tuam, iſtam floridam viuẽtẽ ætatem, nobile iſtud naturæ decus, quod ante annos tibi obuenit, altiſsimo per Orbem Imperio decorabit. Pręterea, quoniam Templum ſedis meæ Epiſcopale, è tignis, è ceſpitibus, è materia, tenui, è tabulis, è luto, è ramis arborum veluti topiaria arte intertextis, erectum eſt, vnde noctu, ſacri Libri, Organa ipſa, Altarium ornamenta, á ſacrilegis ſublata ſæpè ſunt; nec ipſum Dei corpus, á furibus, á latronibus, á Magis, á Negromantibus, ac Auruſpicibus, ab Ariolis, á Pithonibus, á Phanaticis, á ſceleratorum igne, tutum eſt; Te precor omnium ſæculi noſtri Excellentiſsimum, vt octo millia pondo auri á Ferdinando olim Rege pro Templo meo Epiſcopali condẽdo relicta, & Peſsinuntio Quæſtore collecta, mihi perſoluantur imperes, quæ ego

in teſtitudineo tholo maioris Altaris peragendo exponam. Conſtitui enim è publica Leonis X. Pont. Max. Indulgentia, & cũ corporibus Sanctis, que ab Vrbe expecto, eo modo totam eam gentem ad immortalem Deum miro cultu proſequendum mouere: quod Templum adeò illuſtre in eo Axe condam, ad quod Barbari oẽs, qui ſub Æquinoctio ſunt, ad nouum, & memorabile veluti ſpectaculum concurrent, ac ibi in omni tẽpli loco ſublimia Celſitudinis tuæ elogia, in æreis tabulis, in marmore, in anaglyphico quoq; opere, eo modo ſe exerent, quod nomen Regiæ Sublimitatis tuæ, in toto eo cardine Mundi, ſempiternum erit; Sic igitur, Excellentiſsime, & Inuictiſsime Carole Magne Rex, cum ea, quę ſupplex oro, ad manifeſtũ immortalis Dei obſequium, ad æternum Celſitudinis tuæ decus cedant, iure precor, ne Epiſcopo à te facto, ne mihi Antiſtiti à te euocato denegentur. Et Deus omnipotens te Conſtãtino, Iuſtiniano, & Carolo maiorem, & Auguſto Cœſari ſimilem reddat.





# REVERENDISS. D. ÆGIDIO CARDINALI S. P. D.

# ALEXANDER GERALDINVS EPISCOPVS S. DOMINICI.

QVò maiora, Reuerendiſsime D. tua beneficia in me extitere, cum ipſo temporum curſu cupio maiora fieri, adeò vt nihil integrum mihi in vita mea de me remaneat, ſed omne eo modo ius in te ſit, vt liceat tibi homini maximo me mancipium pro quolibet voles precio diſtrahere. Quod cupio hoc eſt: Epiſcopatus meus nullum habet domicilium, quo ego Epiſcopus ſubſiſtam, & Karolus Rex duo habet domicilia, in quorum altero Peſſimutius

Prouinciæ quæſtor publica patriæ nego-
tia obit, in altero nemo eſt, & Templo
meo coniunctum eſt, ego Epiſcopus ſup-
plex, & humilis, velnti Bonifacius olim
Quartus Pont. Max. petijt à Phoca Cæſa-
re Imp. Pantheon, Templum Cybelis Deæ,
& Dijs Romanis ſacrum ſibi, & Reipublicæ
dari, quod bello ante à Germanico votum
M. Agrippa Conſul IIII. tranſrhenana
longè, & latè Germania ſubacta condide-
rat. Ita nunc à Karolo Rege omnium ſæ-
culi noſtri excellẽtiſſimo hoc domicilium
mihi, ſedique meæ, & Epiſcopis in ea Vrbe
futuris perpetuò attribui peto. Qua in re
eius Celſitudo prænobile, & ſempiternum
in aula æthereæ patriæ domicilium ſibi
comparabit, & Reuerendiſſima Domina-
tio tua, vna cum Reuerendiſſimo Domino
Card. Dertuſenſi, ad quem amplè ſcribo,
immortale apud ęternum Deum meritum
nanciſcetur. Prætereà, quoniam Epiſco-
pale Templum Inſulæ meæ è ramis arbo-
rum, è palmis, è ceſpitibus, è virgis, è ti-
gnis, è materia periculo plena erectum eſt,
qua ſanctiſſimum Sacramentum Dei no-
ſtri à ſicarijs, à ſacrilegis, à ſceleratis, à
vicino igne minimè tutũ eſt, quo maiori
poſſum ſtudio precor, vt octo aureorum
millia à Ferdinando Rege ob Templum
conſtruendum relicta, & à Peſſinuntio

Quæ



Quæſtore prouinciali collecta, à Karolo
Rege aſſignari pro parte Templi ædifican-
da impetrentur, nam ego celebre, & ma-
gnopere ſublime ibi templum, e publica
Leonis X. Pont. Max. indulgentia condere
inſtitui, qua in re Reuerendiſſima Domi-
natio tua, & Reuerẽdiſſimus Dertũſis Car-
dinalis teſtata, & manifeſta à Deo Noſtro
Optimo Max. præmia recipient, & idem
Deus omnipotens ad altiſſimum Eccleſiæ
ſuæ culmen Reuerendiſſima Dominationẽ
tuam promoueat.

## LVCIO PVCCIO CARDINALI SS. Quatuor Coronatorum.

## ALEX. EPISCOPVS S. DOMINICI S. P. D.

*Reuerendiſſime in Chriſto Pater, & Domi-
ne, Domine Colendiſſime, ac Meri-
tiſsime.*

MICABERE forte, ampliſ-
ſime Pater, & Domine,
quod longo adeò tempo-
re conticuerim, cum prę-
ſertim, ea in Reuerendiſſi-
mã Dominationẽ tuã ob-
ſeruãtia ab eo planè die, quo eam vidi,
fuerim, qua quiſpiam in aliquem eſſe ho-

mi-

